














CHRISTOPHORI SCHLEGELII,
S.S. Theol. Doct.

ENODATIO

Loci scripturæ S. difficillimi
MATTHÆI XXII, v. 3. & 11.

De

AGRO SANGVINIS

Et Prophetia circa Eundem
allegatâ,

Iteratâ curâ publicæ commissa
luci
ab Autoris Filio
M. Christophoro Gottlieb Schlegelio,
S.S. Theol. Cultore.

HAMBURGI
apud GOTHOFREDUM Schultzen.
1675.



VIRO

QUA

GENERIS AVITI

NOBILITATEM

VIRTUTUM PRÆSTANTISS.

SPLENDOREM,

SUMMORUM MUNIORUM

DIGNITATEM,

UNDIQVAQ.

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

JOHANNI WILHELMO

à REICHEL,

EQUITI SILESIO,

HÆREDITARIO IN MAGNITZ ET ZOM GARDEN,

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI EPISCOPI LUBECENSIS DUCIS HOLSAT. ET SLESVVIC.

CONSILIARIO INTIMO

DITIONISQ. EPISCOPALIS VTINENSIS

PRÆFECTO SPLENDIDISSIMO

DOMINO ET PATRONO

OMNI OBSERVANTIÆ CULTU

DEVENERANDO

S.

Natale Solum cunctos dulcedine suâ ducere testis est Poëta ille Sulmonensis. Patria quippe, uti vitâ donatos benignè recipit, ita Amorem sui vicissim ingenerat. Neq; Terra tamen hoc Patriæ venit nomine, sed animæ potissimùm eam inhabitantes, præprimis verò Mentes illustres, quarum Virtute Solum Patrium Splendorem accipit & Decus, Patres Patriæ, Musarum Præsides & Patroni, quos in sublimi constituit Fortuna, ut quocunq; sese vertant ista Lumina Patriæ quoq; nitor radios suos exerat. Quid ergo mirum, VIR NOBILISS. atq; EXCELL. Si TE sponte suâ, haud secus ac à magnete occultâ quâdam vi Boream versus attractus, sequatur Genius meus? SILESIAM scilicet suavissimam his oris in TE conspicor; TIBI enim contulit Patria, quæ habuit præstantissima, Decus Gentis insigne, Nobilitatis avitæ Gloriam, Virtutum summarum Excellentiam. Suspexêre id Illustrissimi atq; Serenissimi inclytæ Holsatiæ Fratres, Principes Celsissimi, quorum Alter, qui Regiminis gerit curam, TE inter Aulicorum Præcipuos tot annos omni Gratiâ amplexum tenuit, Alter Episcopatûs Lübecensis Antistes Reverendissimus adhuc tenet, rebusq; suis maximis præfecit. Tantis ergo Tuis Honoribus prosperrima quæq; apprecari, TEq; Patriæ dulcissimæ Sospitatorem omni observantiæ cultu prosequi, atq;, ut olim DIs Patriis fiebat, munusculo animi devotionem indicante, me communis Terræ Alumnum excipere jubet Pietas. Licet autem digna Nomini Tuo desint munera, arripio nihilominus quod ad manum est, Parentis nimirum mihi charissimi præsentem Disquisitionem, eamq; ex debito officio eâ, quâ par est, reverentiâ TIBI Do, Dico, Consecro. Accipas quæso, Patrone Maxime, quicquid offero, vultu quo soles Musarum cultores prosequi, nempè sereno, Munerisq; hujus amplitudinem ex animo potiùs meo, quàm Nominis Tui sublimitate, æstimes, & studia mea sub Præsidio Patrio, id est Tuo, salva esse benignè patiare. Valeas VIR NOBILISS. atq; EXCELL. Favoreq; Tuo ne dedignêre amplecti

Clientem TIBI devotissimum

M. Christophorum Gottlieb Schlegelium.

Præfatio ad Lectorem.

CUm ante annos ferè 40. occaſione cujuſdam, qui pro Concione non veritus erat S. Matthæum falſitatis arguere, quod Jeremiam pro Zachariâ hìc allegâſſet, Parens meus à Viro quodam Magno hanc ob rem monitus præſentem adornaret Diſquiſitionem, ubi penſitatis aliorum de hoc loco opinionibus, iisq; partim ut falſis & incertis rejectis, partim ut inſufficientibus Autoribus ſuis relictis, adderet & ſuam, quam ſenſui Scripturæ S. ejusq; Analogiæ præ cæteris convenire videret, factum ut intra privatos parietes latitaret diu, donec annis abhinc novem occaſione Diſputationis in Synodo Ephoriæ Grimenſis habendæ (ubi Reſpondentis ego ſuſtinui munus) tandem prodiret in publicum. Nec verò, ut fieri ſolet, omnibus pariter arriſit hæc ſententia, bonâ tamen cum Autoris pace, utpote qui quemq; hâc in re ſuo abundare ſenſu permittit, tamdiu tamen iſtam amplectitur opinionem, quamdiu rationes, quas ex ſolâ Scripturâ S. miſſis conjecturis hum. & incertis adduxit, firmiſſimis argumentis non fuerint everſæ. Haud enim ſufficit dicere, hæc ſunt ἀλλότρια, nequicquam faciunt ad rem præſentem; Contrarium ſanè in ipſo Tractatu luculentiſſimè probatum. Interim verum manet, S. Matthæum (ut totam rem ὡς ἐν τύπῳ ſubjiciam) Vaticinium, de quo agitur, non abſq; gravi causâ & pondere citâſſe, atq; impletum eſſe quod in V. T. prædictum à Prophetis, iisq; duobus, Jeremiâ ſcilicet & Zachariâ, qui poſterior tantum ſub nomine Officii Prophetici & ut unus Prophetarum Minorum (qui nunquam ferè nominatim citantur in N. Teſt.) prior autem & Propheta Major Jeremias nominatim allegatur; quorum Vaticinia combinata non dicta ſolùm, ſed etiam ſcripta, habeantur adhuc hodiè in Scripturâ V. T. Canonicâ: Prius quidem Zach. XI, 12. 13. de Pretio, ubi in Hiſtoriâ ſimul Typus exprimitur: Poſteriora verò duo in Jeremiâ, ejusq; Cap. XIX. de Agri hoc pretio emti conditione quo ad Situm, Nomen, & Profanationem,

& Cap.

& Cap. XXXI quoad ejusdem temporibus Messiæ Sanctificationem; cujus licet sensus generalis, nihilominus tamen verbis figuratis Prophetia etiam κατὰ τὸ ῥητόν in valle cadaverum nominatâ impleta statuitur. Quæ omnia fusissimè secundum loca parallela, exempla similia, sensûs convenientiam & Analogiam, Typi cum Antitypo collationem, ad oculum demonstrata. Hinc optandum, ut Vir quidam Celeberrimus (cujus Nomen ex debitâ reverentiâ taceo) penitiùs inspiciendam hanc sibi sumsisset Disquisitionem, mitiorem fortè de eâ tulisset censuram. Obiter enim ab Eo perlectam esse patet indè, quod allegat Heinsium id genus docendi Scripturas ex Hieronymo nominantem vitiosissimũ, cùm tamen Riveti ea verba sint, & ab Autore monstratum, Heinsii sensum Accommodatitium hoc modo tangi, *Conf. Cap. II. n.* 17. Id tamen (1) nequicquam nostram ferit sententiam: Siquidem Hieronymus eam improbat scripturæ inflexionem, quæ fit posthabitâ sensus & Analogiæ ratione, ea verò hic maximè urgetur & ritè eruitur, uti patet ex toto Tractatu. Ac licet (2) haud prima statim fronte occurrat, quâ ratione typus insit citatis, Prophetarũ locis tamẽ quia S. Matthæus, Vir θεόπνευστος, indice digito mõstrat iis inesse Typũ, religio est eum non sequi, sed potiùs ulteriori indagine eruendus est sensus typicus; Siquidẽ solertissimus ille divinarum Scripturarum, si quisquam alius, scrutator B. Glassius (quem etiam sidus illud Theologiæ B. Gerhardus maximi fecit semper) in Philol. S. Lib. I. Tr. 2. part. 2. sect 2. n. 3. non sine propriâ experientiâ ait, *Multa esse in V. T. quæ primâ fronte res N. T. minimè respicere videantur, propiùs verò & accuratiùs inspecta omninò typi sint & figuræ Bonorum futurorum; scrutandas igitur esse Veteres illas Scripturas, quæ testimonium de Christo (NB. nobis etiam non opinantibus) sæpè perhibent, Joh. V, 39.* Optimè! Christus enim scopus totius Scripturæ S. Luc. XXIV. 44. quò etiam præsens collimat Vaticinium, quod in Passione Christi impletum esse non absq; Causâ à S. Matthæo profertur. Et quanquam (3) dicatur, Jeremiam

C.XIX. tantùm jussum esse sibi figulinam ollam emere, eamq́; in Valle Benhinnom confringere, quod eâ ratione civitas & pop. confringi debeant, & in Topheth sepeliri, quia locus alius non superfuturus sit: Cap. verò XXXI. prædici Vallem funerum cum toto Agro usq; ad torrentem Kidron Deo sanctificatum iri; Idem quoq́; de Zachariæ loco quoad præsens tempus statui debere: Non tamen negandum, loca ista etiam continere Typum, qui ostenditur *Cap. IV. Sect. 2.3. & 4. hujus Tract.* Probandum igitur erit Contrarium, & in specie, quod descripta Historia C.XIX. nihil simul contineat typi de his, quæ circa Agrum Sanguinis tempore Christi contigerunt, & quod C.XXXI. Prophetia de Sanctificatione immundorum, quæ per nominationem certorum quorundam locorum indicatur, nequeat censeri etiam tunc impleta, quando in Valle cadaverum ibi speciatim expressâ, pretio venditi Christi emtus fuit Ager, Sanguinis dictus, in sepulturam Gentilium conversorum. Meliora docturo lubentissimè cessurum se profitetur Autor. Interim si ita liceat judicare de Vaticiniis V. T. extra respectum ad N. T. quid dicendum de cæteris, quæ sanè in sensu proximo, ac prout nobis videntur proferri à Prophetis, non nisi populum Israeliticum respiciunt, & tamen magno numero citantur ab Evangelistis & Apostolis, quod impletio eorundem plenariè demùm facta in N. T. E sexcentis unum saltem atque alterum, quæ primò occurrunt, lubet depromere. Nimirum Jer. XXXI. 15. vaticinatur Propheta de miseriâ Israelitarum proximè futurâ in vastatione Terræ Judæ: Subjungitur enim v. 16. solatium, quo redituros eos esse è terrâ hostili promittitur. Hîc etiam typicum latere sensum, & hoc Vaticinium se quoq; extendere ad occisionem Infantum Bethlemiticorum expressè non indicat tantum, sed & ejus impletionem tùm temporis factam esse, probat Cap. II. 17. 18. Addo & alterum Ose, XI. 1. ubi Oseas ne quidem vaticinans, uti videtur, sed saltem in memoriam revocans Israelitis beneficium eductionis ex Ægypto olim præstitum, eos inobe-

inobedientiæ erga Deum arguit: Eadem tamen verba ut Vaticinium citantur à Matthæo cit. loc. v. 15 qui ejus impletionem factam esse, ostendit in fugâ Christi in Ægyptum & ex eâ reversione. Ibi sanè finis (qui epanorthoticus) à fine quem Matthæus indicat & ad Christum refert (qui Patri etiam ad mortem usque fuit obediens) immana quantum discrepat, & circumstantiæ quoque ut & objecta diversa, nihilominus id ut Typus refertur ad Antitypum Christum. Cætera sicco pede prætereo. *V.* si lubet, *Hypothes. 8.* ubi plura proferuntur loca. Neque tamen (4) Heinsius inde patrocinium habet sensui suo Accommodatitio: Is enim sensus planè à mente Evangelistarum recedit, qui non accommodant Vaticinia V. T. aut verba saltem phraseῶn more adducunt, sed ea omninò respexisse res N. T. ac tùm impleta esse disertè perhibent, eamque ob rem se ea adduxisse declarant. Conf. contra vitiosam istam Accommodationem *Hackspan. Syll. Dispp. p. 417. 461.* Deniq; (5) sententia, quæ asserit τὸ *Dictum* h. l. strictè intelligendum esse, ut non simul includat *Scriptum*, non caret scrupulis, siquidem vel centies sub τῷ *dictum est* allegantur in N. T. Vaticinia V. T. quæ etiam expressis verbis consignata sunt: Hoc autem loco singulariter id ita intelligendum esse, nondum evictum: Nam 1. ut in genere omnia impleta esse dicuntur, quæ in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis *Scripta* sunt, quemadmodum Christus ipse allegat, Luc. XXIV. 44. quique etiam *Scripturam* (Scil. V. T. Canonicam & certè non aliam, quam quæ strictè ita dicitur, quamque quotidiè legebat Ecclesia Judaica, & etiam Christiana adhuc integram habet) eis exponit (procul dubio, eo modo quo Scripturæ V. T. Vaticinia postmodum ab Apostolis ex ore Christi ad res N. T. probandas applicata & literis mandata sunt.) suosque discipulos ad Vaticinia, quæ de Passione suâ, Resurr. &c. *Scripta* sunt, manducit; Ita quoq; vice versâ colligitur, omnia quæ pro impletione in N. T. adducuntur, literis esse consignata. 2. Vix credi potest, Evangelistam in re tàm arduâ allegare voluisse Jeremiã, & ab eo

orete-

oretenus saltem tradita, cùm ipsa verba, quæ proferuntur, in alio Prophetâ, cujus Canonicæ extat Scriptura, habeantur. 3. Controversia igitur non est, utrum Jeremias illud dixerit aut scripserit, sed quâ ratione hìc Jeremias citetur, cum tamen hujus Vaticinii plurima verba reperiantur in Zachariâ. 4. Dubium oritur, an unquam ullibi à Canonico aliquo Scriptore N. Test. citetur Traditio Scriptoris alicujus Canonici V. T. Provocare hìc liceat ad inductionem exemplorum: Ad loca enim Matth. II. 23. & Jud. v. 14. responsum *Cap. II. n. 6.* ubi quoq; tota hæc sententia de orali Traditione examinata fuit. Nolo esse prolixior, cum omnia quæ opponi possent, exactè in ipsâ Disquisitione soluta. Hæc saltem sunt, quæ iteratâ Editione hujus Tractatus, quem publici juris fieri typisq; denuò exscribi curavi, præfari volui. Minimè verò arbitretur quispiam (id quod solennissimè protestor) me eò audaciæ processisse, ut cujusquam Existimationi quicquam hoc ipso detractum velim: Nec enim ex meâ mente, sed potiùs Parentis charissimi (cujus opinionem & ego si meam faciam quid prohibet? cum non tantùm Pietas sed rei veritas id suadeat) ad Sententiam nostram elucidandam ea profero. Me enim quod attinet, tenuitatem sponte agnosco, neque temerario ausu ulli contradicere præsumo. Cum verò liberum sit cuiq; hâc in re, salvâ Fidei Analogiâ, sentire quid velit, & Locus iste controversus multos omni tempore eruditos exercuerit Viros, unoquoq; rationibus suam suffulciente opinionem, nil obstat quò minus & nostræ inhæreamus sententiæ, cum nec hìc desint rationes, quæ pro eâ stabiliendâ Prolixè adductæ, nondum verò labefactatæ. Vale, Benevole Lector, & hoc, quicquid est, æqui bonique consule, ac pro Candore tuo non priùs fer sententiam, quâm omnia perlegeris.

CUM



CUM DEO.

חֲקַל דְּמָא

AGER SANGVINIS,

Juxta ductum Historicæ descriptionis & Prophetiæ allegatæ

Matth. XXVII. 3, 11.

pressiùs consideratus.



Agnificè & salubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret. Scriptura si nusquam Aperta *esset, non te pasceret: si nusquam* Occulta, *non te exerceret*, inquit *Augustinus Tom. III. lib. 2. de doctr. Christ. c. 6. Item Tom. IIX. præfat. in Psalm. 140.* & *tract. 45. in Iob.* Utut verò in obscurioribus S. Bibliorum textibus strenuè se exercuerit priscorum atque recentiorum EcclesiæDoctorum sedulitas, non tamen omnis ulterioris scrutinii materia sequentium diligentiæ subtracta est, aut subtrahetur, quoad usque hoc seculum duraverit, unquam. *Ex parte* enim *cognoscimus, & ex parte prophetamus. 1. Corinth. XIII. 9.* Veneramur Antecessorum præcellentissimam eruditionem, ac insignia in Ecclesiam merita, etiam ubi quadantenus ab ipsorum interpretatione recedimus. Non est, quod jactemus nos præ illis doctiores ac perspicaciores: sed gratâ potiùs mente nostram prædicamus felicitatem, quod illorum operâ faciliùs possimus ultra contendere; quum ipsis, qui vel nullos, vel paucos, erroneos etiam, habuerunt Duces, tantò majori labore ac studio opus fuerit eò pertingere, quò pervenerunt. Quis Pygmæum Gigante majorem aut perspicaciorem dicat, si

Quædam in S. Scripturis Obscura.

Pro quibus explicandis adhuc laborandum.

hujus sublatus humeris prospiciat altiùs, quàm ipse Gigas? Neque enim istius magnitudini aut acumini visus, sed uni hujus succollationi acceptus ferendus est ulterior prospectus. Hoc ipso etiam ex Pontificiis, Patrum aliàs autoritatem in explicandâ Scripturâ nimis evehentium, suam ab omnibus antiquis & modernis Expositoribus aliquo in loco secessionem & novam interpretationem excusat *Didacus Stella Tom. 2. Enarr. in Luc. X.* fol 15. f. 2.

Talis obscuritas occurrit Matth. XXVII. 3. seqq.
Tractationis Dispositio.
Votum Psal. CXIX. 169, 170.

Ex plurimis Scripturæ locis ulteriorem indaginem poscentibus selegimus hâc vice insigniter notabilem apud Matthæum de allegato Jeremiâ, circa mentionem *empti Agri XXX. Argenteis*, pro venditi scil. sanguinis Christi pretio. Proposito priùs textu variæ Interpretationes adducentur, (*Cap. I.*) & expendentur, (*Cap. II.*) Ultima autem, præmissis Hypothesibus, (*Cap. III.*) explicata confirmabitur. (*Cap. IV.*) *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine; juxta Eloquium tuum da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo: Secundum Eloquium tuum eripe me. Amen.*

Textus.
(1) Al. παραδοὺς *sicut habetur vers. seq.*
(2) Regius habet δίκαιον.

Textus originalis Matth. XXVII. 3. 11.

Vers. 3. Τότε ἰδὼν Ἰούδας ὁ (1) παραδιδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς, ἀπέστρεψε τὰ τριάκοντα ἀργύρια τοῖς Ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις.

V. 4. Λέγων, ἥμαρτον παραδοὺς ἅιμα (2) ἀθῶον, οἱ δὲ εἶπον, τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει.

V. 5. Καὶ ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ ἀνεχώρησε, καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο.

V. 6. Οἱ δὲ Ἀρχιερεῖς λαβόντες τὰ ἀργύρια, εἶπον, οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν. ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι.

V. 7. Συμβούλιον δὲ λαβόντες ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις.

V. 8. Διὸ ἐκλήθη ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος ἀγρὸς αἵματος, ἕως τῆς σήμερον.

V. 9.

V. 9. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος, Καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ.

V. 10. Καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος.

CAP. I.

Recensentur variæ hujus Dubii de citato Jeremiâ Explicationes.

CAP. I.

Variæ Explicationes, quibus Mendum

QUum Interpretes non in *Ieremiâ*, sed potiùs in *Zachariæ Cap.* XI. 12, 13. deprehenderent sensum verborum à Matthæo hic recensitorum, varios quæsiverunt modos explicandi hujus nodi. Possunt autem dictæ explicationes referri ad duas classes, quarum *una* est Concedentium in hoc Matthæi loco Mendum, *altera* vero Negantium.

1. Conceditur, ortum vel ab Evangelistâ,

Prior Classis comprehendit Expositores, qui *originem hujus Mendi* ut ostendant, varias *formant* sententias.

Quidam enim *Evangelistæ* adscribunt erratum μνημονικὸν, idqve, *vel* ab ipso non animadversum, *vel* animadversum quidem, sed non correctum; quia cogitaverit, recordationi suæ, quæ Sancto Spiritu regebatur, non frustrà occurrisse aliud pro alio Nomen Prophetæ, adeoque Deum ita scribi constituisse.

vel à Librariis.

Alii originem mendi in *Scribarum* aut *Librariorum* sive oscitantiâ, sive sciolorum & audacium culpâ quærunt, quasi *vel* Additione, *vel* Abbreviatione, *vel* Immutatione corrupti textus authentici fuerint causa, aut adminimum ansam præbuerint. Hinc statuunt nonnulli, 1. quod Matthæus absolute scripserit: *Tunc impletum, quod dictum est per Prophetam*; Sed indoctus quidam & sciolus Scriba nomen *Ieremiæ* addiderit, vel margini addiderit, ex quo postea in ipsum irrepserit textum. 2. quod velocitate styli per abbreviationem positum sit à quodam descriptore Ζȣ h.e. ζαχαρίου, quod alii postmodum legerint Ιȣ, adeoque scripserint ἱερεμίου. 3. quod decepti aliquo negligenter scripto co-

 dice,

dice, ubi pro Zachariâ extabat nomen Jeremiæ, illud imitati fuerint, adeoque mendum in reliquos postea descriptos codices diffuderint, immutatâ ipsius Evangelistæ Scripturâ.

2. *Negatur; per quæsitas solutiones varias.*

Posterior Classis, & quidem præ priori copiosius ducens agmen, est *Negantium* aliquod in hoc textu Evangelistæ *mendum*, quod subesse videbatur. Ut autem se expedirent oppositâ difficultate, si in citatione servetur nomen Jeremiæ, varias quæsivêrũt explicationes: Harum *nonnullæ* sigillatim Jeremiam spectant, *aliæ* verò eundem, utut solum citatum, volunt cum Zachariâ conjunctum, ut una sit ex duobus prophetia. Qui *sigillatim solum Ieremiam* respexisse Evangelistam existimant, in varias scinduntur sententias. *Vel* enim effugium se invenisse existimant, urgentes ex collatione Textus Modum allegandi, *vel* Nomen allegati Prophetæ, *vel* textum allegatum. In *Modo citationis* expenso, quod apud Matthæum non legitur, *Scriptum est*, sed potius, *Dictum est per Ieremiam Prophetam*, facilimam evadendi viam multi se reperisse autumant. Hinc *quidam* urgent, quod Jeremias de his oretenus prophetaverit, quæ tamen scriptæ suæ prophetiæ non inseruerit, adeoque vel per traditionem non scriptam pervenerint ad Judæos, vel Matthæus afflatu Spiritus Sancti cognoverit, & Scripturæ commiserit. *Alii* putant, Zachariam vixisse in disciplinâ Jeremiæ, ac proinde hoc vaticinium à Doctore publicè aut privatim auditum per discipulum fuisse in Scripturam redactum.

Qui in *Nomine citati Prophetæ* solutionem nituntur afferre, provocant *Partem* ad Zachariæ διωνυμίαν, quod dictus fuerit & Zacharias & Jeremias, quo posteriori nomine ipsum Matthæus hoc textu appellet: *Partem* ad opinionem Judæorum, qui Jeremiam ex Ægypto tandem ad reducem populum venisse, Zachariæ *assumpto* nomine, vel in Zacharia per μετεμψύχωσιν fuisse; *Partem* ad omnium Prophetarum ὁμόνοιαν, quod, quum omnes Prophetæ uno spiritu locuti fuerint, singula omnium, & omnia singulorum sint, adeoque hâc citatione unius pro altero Spiritus S. voluerit docere, uni congruè deputari, quod ab altero dicitur.

De *ipso Textu citato* itidem variant sententiæ. *Quidam* enim fatentur, ista hodiè in libro Jeremiæ non reperiri, sed tamen olim extitisse Librum, in quo extiterit. *Nonnulli* censent, fuisse

fuisse peculiarem ab eo, quem hodie habemus, sed subsequis temporibus amissum. *Alii* econtra etiam in eo, quem adhuc Canonicum habemus, scriptum, Judæorum autem malitiâ inde erasum ac sublatum fuisse prætendunt. Sed nec desunt, *qui* hodienum in Jeremiâ tale quid inveniri existimant. Provocant igitur *quidam* ad *Caput* XVIII. ubi Jeremias domum figuli ingredi jussus fuerit, *Alii* econtra ad *Cap.* XXXII. ubi narratur, quomodo Jeremias DEI jussu emerit Agrum, & contractus seu Emtionis scripturam in vase fictili reposuerit.

Restant nunc illi interpretes, qui Matthæum in parte istius Historiæ per Scripturam V. T. explicandæ *junctim* censent respexisse Prophetarum quædam loca. Est, qui *Trium* meminit, nomine non expresso. *Alii* verò nominatim provocant ad librum & *Ieremiæ* & *Zachariæ*, quamvis solius Jeremiæ nominatim mentionem fecerit Evangelista. De Zachariâ consentiunt hi omnes, quod indigitetur Caput XI. 12, 13. Sed de Jeremiâ variant. Est, *qui* pretium, quo ager emtus est, à Zachariâ, Agrum verò qui emtus est, à Jeremia Cap. XXXII. descriptum esse persuadere nititur. Est *qui* ad Caput XIX. se recipit, ubi de valle Hinnom ante portam figulorum sitâ agitur, quod Propheta emptum vas figulinum ibi confregerit, & prophetaverit, nominandam esse vallem occisionis, ac futuram inibi copiosissimam hominum sepulturam.

His recensitis sententiis addenda est hæc, *quòd omnino duos Prophetas respiciat Evangelista, Zachariam* scil. *& Ieremiam: sed hujus simul Caput* XIX. *&* XXXI. Ultima hæc & explicabitur & confirmabitur inferius.

Quum Capite sequenti singulæ Interpretationes (postremâ excepta) ordine expendendæ sint, quid falsi, quid incerti, quid veri vel certò vel probabiliter contineant, proficuum erit, illas in Tabellæ Schemate consignatas, & Numero, quo expendendæ venient, signatas exhibere.

Expli-

Explicationes de Jeremiâ citato Matth. XXVII. discernuntur, *quoad Mendum* in hoc Scripturæ dicto ab Interpretibus

- *Concessum, Autoribus* vel
  - *Evangelista* ipsô, aut
    - *Inscio.* Num. I.
    - *Conscio, sed emendare nolente.* Num. II.
  - *Descriptoribus*, textum
    - *Augentibus*, addito nomine Prophetæ. Num. III.
    - *Immutantibus*, per substitutionem Jeremiæ pro Zachariâ. Num. IV.
    - *Abbreviantibus*; unde postea erroris ansa. Num. V.
- *Negatum* per quæsitas *solutiones, respicientes* vel
  - *Sigillatim unũ Prophetam*, & quidẽ *ejus*
    - *Citandi Modum*: Dictũ est per Prophetam ad, eoque
      - *Ieremias dixerit*, non scripserit. Num. VI.
      - *Zacharias* ab isto *dictũ scripserit*. Num. VII.
    - *Citati Nomen.* Provocãt ad
      - *Zachariæ διωνυμίαν*, qui etiam dictus sit Jeremias. Num. IIX.
      - *Ieremiæ* assumptam novam appellationem, vel in Corpꝰ Zachariæ transmigrationem. Num. IX.
      - *Omnium Prophetarum ὁμόνοιαν*, ob quam ab uno scripta alteri etiam tribuantur. Num. X.
    - *Citatum Textum*, quod *apud Ieremiam*
      - *Extiterit* in libro ejus
        - *Deperdito.* XI.
        - *Residuo.* sed per Judæos erasus. Num XII.
      - *Extet* vel
        - *Cap.* XIIX. Num XIII.
        - *Cap.* XXXII. Num. XIV.
  - *Iunctim* & vel
    - *Tres.* Num. XV.
    - *Duos*, sc. *Zachariam* Cap. XI. & *Ieremiam*, vel
      - *Cap.* XXXII. Num. XVI.
      - *Cap* XIX. Num. XVII.
      - *Cap.* XIX. & XXXI. Num. XVIII.

CAP. II.

Cap. II. Expenduntur ordine Interpretationes.

Ordine expenduntur *recensitæ variæ Interpretationes.*

I.

PRima ſententia, quæ *Evangeliſtam inſcium* ex memoriæ lapſu Jeremiam pro Zachariâ poſuiſſe ſtatuit, præ cæteris omnibus minimè admittenda eſt. Nam 1. talis lapſus redundaret in injuriam Sancti Spiritus, qui & os & manus Scriptorum Canonicorum immediato impulſu direxit. *II. Tim. III. 16. II. Petr. I. 21.* 2. Si ſtatuatur, iſtud ἁμάρτημα non à Spiritu S. ſed â Scriptoribus eâ in parte ſibi relictis ortum, ſequeretur, S. Scripturam eſſe par- 1.
tim Verbum Dei, partim verbum Humanum. Aſt πᾶσα γραφὴ, 2.
adeoque etiam quævis iſtius particula, eſt θεόπνευστος. 3. Si in 3.
uno alterove Scriptores S. erráſſe admittitur, non poterimus certi eſſe, quod non etiam in aliis labi potuerint ac lapſi ſint, adeoque convellitur immotum aliàs fidei noſtræ fundamentum. Pluribus itaque refutârunt falſam hanc aſſertionem Theologi noſtrates tùm in Locis Theoreticis, tùm in refutatione Photinianorum, qui eandem quoque ſuam fecerunt.

I. Quod S. Matthæus memoriâ lapſus ſit. Refutatur

Nominatim Eraſmus.

Eraſmus, utut ſe hujus ſententiæ autorem vel patronum nolle eſſe profiteatur, (*annot. in Matth. II.* fol. 24.) tamen *annot. in h. l. fol. 106.* eodem memoriæ lapſu in Nomine conceſſo, apud neminem ideo labaſcere totius S. autoritatem contendit, & provocat ad *Aug. de conſenſu Evang. lib. 3. cap. 7.* qui Nominis errorem tribuat lapſui memoriæ Matthæi. Quin & *d. l. in Matth. II.* expreſſe ſcribit: *Ut Spiritus ille divinus Mentium Apoſtolicarum moderator paſſus eſt ſuos ignorare quædam & labi, errareque alicubi judicio ſive affectu, non ſolùm nullo incommodo Evangelii, ſed hunc etiam errorem vertit in adjumentum fidei noſtræ: ita fieri potuit, ut ſic temperaverit organum Apoſtolicæ Memoriæ, ut etiam, ſi quid humano more fugiſſet, id non ſolùm non deroget fidei divinæ Scripturæ, verùm etiam fidem arroget apud* 1.
eos, qui alioqui de compoſito ſcriptum calumniari poterant. Sed 1. quomodo ex falſo confirmabitur veritas? ex lapſu memoriæ Scri- 2.
ptorum certitudo Scripturæ eorum? 2. Ex Evangeliſtarum ἐναντιοφανείαις maximam calumniandi anſam tûm Ethnici arripuerunt, tûm potiſſimûm Judæi. V. *Iuſtin. Explic. Qq. à Gentibus poſitarum, quæſt. 20, 22, 23, 25. fol. m. 24. ſeqq.* item *Dial. cum Tryphone:*

phone fol.m.51. Aug. Tom. 1. lib. 2. Retract. c. 16. f. 45. D. Conf. D. *Mül-*
3. *ler. Iudaism. part. 1. lib. 3. cap. 3. & 4.* 3. Refutatur ab ipso, ad quem tamen provocat, *Augustino.* Ita enim hic *Tom. 11. Epist. 8. ad Hieronym. fol. 37.* D. *Admisso in tantum autoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non poßit in dubium vocari.* Epist. XIX. ad eundem: *Ego fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq́ deferre, ut nullum eorum Auctorem in scribendo aliquid errâsse firmißimè credam. At si in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nil aliud, quàm vel mendosum esse Codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam.* Quin & ipso, quem allegat, tractatu, *Tom. IV. de Consensu Evang. lib. 2. cap. 12.* Omnem falsitatem abesse ab Evangelistis docet, non solùm eam, quæ *mentiendo* promitur, sed
4. etiam eam, quæ *obliviscendo.* 4. Quod locô citatô permutationem Nominum Jeremiæ & Zachariæ, quatenus in Codice Biblico extet, non Matthæi Memoriæ erranti, sed Spiritus S. providentiæ ac directioni tribuat, verba jam citanda docebunt.

II.

II. Quod Evangelista ob sensum divini instinctus studiosè noluerit Nomen corrigere.

Quod *Matthæus*, etiamsi primitus Jeremiæ nomen pro Zachariâ sibi occurrisset, tamen, etiam deprehendens permutationem istam Nominum, *noluerit aut non debuerit corrigere*, ob animadversum divinum instinctum, censet *Augustinus lib. 3. de consensu Evang. cap. 7. Quid intelligendum est*, inquit, *nisi hoc actum esse secretiori consilio providentiæ Dei, quâ mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro* Zachariâ Hieremias *occurrerit, ut fieri solet: quod tamen sine ullâ dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret, recordationi suæ, quæ S. Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio Nomen Prophetæ, nisi quia hoc ita scribi Dominus constituit.* (Causam existimat fuisse, ut doceret Omnium Prophetarum unam directionem per Spiritum S. de quâ inferiùs dicendum erit:) Sed
IV. durum est dicere, quod non tantùm permittente, sed etiam in immediato Scriptorum hujusmodi impulsu volente ac operante Spiritu S. aliquod à veritate historicâ dissonum fuerit insertum, &, animadversum licet, tamen non correctum. Promisit ipsis

ipsis Christus Joh. XVI. 13. *Spiritus veritatis deducet vos in* Omnem *veritatem.*

III.

III. Quod Librarii Nomen Ieremiæ addiderint.

Inter eos, qui *Scriptorum* seu *Librariorum* esse putant *Culpam*, si quod mendum in textum irrepsit, agmen quasi ducunt existimantes, quod Evangelista indefinitè saltem scripserit, *Tunc impletum fuit*, *quod dictum est per Prophetam*, *Nomen* autem *Ieremiæ* à sciolo quodam Scribâ fuerit temerariè *additum*. Ut hanc sententiam probabilem reddant, ab iis urgetur 1. *Matthæi consuetudo*, qui sæpiùs alleget Scripturam V. T. absque mentione certi alicujus Prophetæ, saltem sub generali mentione extantis alicujus de hâc vel istâ re testimonii Prophetici, ut *Cap.*I.22. *Cap.*II. 6,15,23. *Cap.* XIII. 35. *Cap.*XXI.4. *Cap.* XXVII. 35. 2. *Collatio Versionum* quarundam. Syrus & Arabs nullius Prophetæ nomen adscripserunt. (*Ravanel. Biblioth. Sacr. V. Ieremias.*) *Augustinus lib. 3. de consensu Evang. cap. 7.* testatur, nomen Jeremiæ non fuisse omnibus Codicibus Latinis adscriptum. *Lyranus ad Matth.* 27. itidem notavit, non haberi in Antiquis libris. Sed Resp. 1. Locis ex Matthæo adductis, ubi nullum Prophetæ nomen citavit, alia subjungimus, ubi expresse nominat *Esaiam*, Cap. III. 2. Cap. IV. 14. Cap. IIX. 17. Cap. XII. 17. (Idem Nomen etiam vetusti quidam Codices legunt Cap. I. 22. V. Biblia Wechel. & Bezam in annotat, ib.) *Ieremiam* (præter hunc locum, de quo controvertitur) Cap. II. 17. *Danielem* Cap. XXIV. 15. Docet igitur hæc collatio, quod sæpiùs nominatim adduxerit Prophetas. 2. Non quæritur, quid in nonnullis versionibus, (Ad *Arabicam* frustra provocatur, quum in Editione N. T. Erpenianâ 1616. it. seorsim editâ Passione Christi juxta Matthæum, 1613. & apud Kirsten. in notis ad h. l. habeatur: *In Ieremiâ*) sed quid in textu originali, qui hîc Græcus est, habeatur. Nam ad hunc istæ examinandæ & corrigendæ. Constanter autem omnes Græcos Codd. legere nomen *Ieremiæ* fatetur Beza, & confirmant priscorum Patrum ita allegantium scripta, prout etiam in editione Regiâ, Complutensi, Wechelianâ, Erasmi, Roberti Stephani, Ariæ Montani, & aliorum leguntur. Nolo hîc excurrere ad versionis *Syriacæ* & *Arabicæ* jactatam antiquitatem, quam nonnulli dubiam faciunt. Utramque interdum ab authentico textu recedere nemo inficiabitur. Si in *Latinis* codicibus omnibus non fuit scriptum nomen Ieremiæ,

Rationes pro hâc opinione.

1.

2.

Refutantur

1.

2.

 quod

quod ait Augustinus, ex hoc ipso concluditur, quod lectum fuerit in plurimis & ferme omnibus.

IV.

IV. Quod Librarii pro Zachariâ Ieremiam ex oscitantiâ scripserint.

Qui *Immutatum* censent à Scribis textum Evangelistæ, ut *pro Zachariâ Ieremiam* scripserint, eorum sententiæ cum aliis etiam meminit *Eusebius lib.10. Demonstr. Evang.* cap. 5. Scribarum scil. errore accidisse, quod negligentiùs exemplaria Sacrorum Evangeliorum conficerent, decepto aliquo, & pro Zachariâ ponente Jeremiam, ut sic perscribi ista oportuerit: *Tunc impletum est, quod dictũ fuit per Zachariam Prophetam.* Huic sententiæ potissimùm Pontificii inhærent, utpote ad corruptionis arguendum textum propheticum pronissimi. *Iansen.* & *Maldon. in Matth.* XXVII. *Suaretz. p.3. tom.2. Disp.34. sect.1. §. ult. Corn. à Lap. in Zach.*XI. 13.

℟. Resp. 1. Dicitur hoc, non autem probatur. 2. Utut nonnulli Codices incuriâ Scribarum circa hunc textum potuissent corrumpi, tamen omnes omninò Codices inde corruptos fuisse, aut corrumpi potuisse, ut nulli manserint integri, hoc negamus. Pugnat enim contra hujusmodi universalem omnium Græcorum Codicum corruptionem Divina Providentia, quæ nullatenus passura fuisset, ut scripta ista θεόπνευστα, ad quæ doctrina Ecclesiæ examinanda est, generaliter falsarentur. Obstat etiam Christianæ Ecclesiæ, cui libri isti Canonici concrediti fuerunt, fides ac custodia. Refutat eandem assidua priscorum Patrum in vindicando textu authentico ab omni depravatione per Scholia & commentarios industria. *Evangelicæ lectionis veritas, quæ in singulis & particularibus Ecclesiæ Codicibus pro temporum ac scribentium diversitate variata fuerat, in omnibus simul collectis Exemplaribus integra semper & incorrupta permansit, ita volente Deo, ut veræ lectionis integritas, quam hominum vel malitia vel negligentia corruperat in partibus, in totâ saltem Ecclesiasticorum Codicum universalitate servaretur, ne Ecclesia Christi per aliquod tempus divinarum Scripturarum integritate careret, utque haberent semper pij & eruditi viri, unde corrigere & emendare possent, quod aut imperitorum inscitia, aut iniquorum perfidia vitiasset, factâ collatione multorum inter se exemplarium,* optimè scribit, (utut aliud velint multi ejus socienni) *Sixt. Sen. Biblioth. lib.7 hær.1.* Quum igitur omnes Græci codices eôdem modô sic legant, nullam hîc immutationem textus per librarios factam possu-

possumus agnoscere. 3. *Quæ autoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittatur, Scripturas esse corruptas?* bene ait *Aug.* T.VI. *l.* 11, *contra Faust. Manich.* c.2. *Si quid, quantumvis minimum in N.T. falsatum esse dicatur, omnis N. T. fides autoritasque adimitur. Sicut enim de corruptione partis unius suspicari licebit, ita & de cæteris ejus partibus opinari licebit; cùm nulla potior causa sit, cur hæc magis pars, quàm illa, incontaminata servari debuerit.* Ita ex Six. Sen. l.c. argumentatur *Alph. Salmero* T. 1. *Proleg.* 33. *f.* 417. De hoc ipso loco controverso agens *Sanctius comm. in Zach.* XI. ait: *Durum valde est, & à quo nescio quomodo pietas abhorret, tamdiu in Sacris Literis alienum jam inveterâsse nomen, & in re purissimâ illam qs. labem adhæsisse.* 3.

V.

Vana est conjectura, quod hæc corruptio occasione *Abbreviaturæ* in textum irrepserit, ut Iȣ̃ seu ιȣ̃ pro Zȣ̃ seu ζȣ̃ Jeremiæ nomen pro Zachariâ lectum fuerit. Huic sententiæ videtur addictus Auctor sub nomine *Hieronymi* T. 4. *comm. in Psalm.* 77. *f.m.* 204. Sed 1. Sive ex abbreviatâ scriptione, sive ex aliâ causâ irrepsisset corruptio, tamen esset omnium Codicum, adeoque generalis; quod adductis rationibus jam negatum est. 2. Quis credat, vel unde probabitur, istiusmodi Abbreviaturas communiter fuisse usitatas, & quidem in arduo maximè studio, quale est descriptio librorum immediato Spiritus S. afflatu in normam fidei ad adipiscendam vitam æternam exaratorum? Certe *Irenæus* antiquissimus Scriptor, qui se primos post Apostolos successores vidisse testatus est, (V. *Euseb. l.* 5. *hist. c.* 18.) inprimis Polycarpi, qui Johannis Evangelistæ fuit Auditor ac Discipulus, de accuratâ in suis tractatibus describendis industriâ cautum voluit, subjunctâ sub calcem istâ obtestatione: *Adjuro te, qui transscribis librum istum, per Dominum IESVM CHRISTVM, & per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas, postquam transscripseris, & emendes illum ad exemplar, unde scripsisti, diligentissimè: Hanc quoque obtestationem similiter transferas, ut invenisti in Exemplari.* Euseb. d.l. Quoad descriptionem Juris severissimæ leguntur sanctiones Justiniani *de Concept. ff. seu P.* §. 13. *de juris docendi ratione* §. 8. & *de confirmatione Digestorum, Constit.* 1. ac 2. §. 22. ne quis in Scripturâ utatur notis seu signis, (quæ *singulas* seu *siglas* vocent) sed

V. Quod Abbreviaturæ fuerit occasio Mendi.

℟. 1. 2.

per

per totam consequentiam literarum numeros & Nomina veterum Prudentum & totam legum positionem scribat. Quis igitur Omnes in descriptione Authenticorum ac planè θεοπνεύστων N. T. librorum velocitati magis calami in abbreviando, quàm debitæ reverentiæ & accuratæ diligentiæ attendisse asserat? 3. Et-
3. iam positus Nominis Jeremiæ ac Zachariæ abbreviandi modus tam luculentum invicem ostendit discrimen, ut negligentissimos fuisse oporteat, qui hîc unum pro altero legerint.

VI. Quod Dictum sit à Ieremiâ, licet non Scriptum.

VI.

Quidam existimant, tutissimam esse explicationem, Verba illa, quæ Matthæus Jeremiæ adscribit, ab hoc solùm *dicta*, non autem *scripta* esse. Ideò apud Evangelistam solùm legi, *Dictum est per Ieremiam*, non verò *Scriptum est*. V. *Kesler. Disp. de Alleg. Dict. V. T. θ. 14.*

℟. I.

Resp. 1. Hæc Responsio admittit, Evangelistam pro confirmandâ certitudine suæ scriptionis de Christo & actis circa ipsum ad ea, quæ per Prophetam vivâ saltem voce prolata, provocâsse. Atqui sic obliquè pro introducendis Traditionibus ἀγεάφοις prætextus præbetur. 2. Considerentur omnia loca N. T. ubi aliquid tempore V. T. & Prophetarum prolatum allegatur sub phrasibus, *Dictum est, Dicit, Dixit, Dixerunt*, aut similibus. Et deprehendetur, quod scripto simul consignata hoc modo citentur. Sic, *Dictum est*, Luc. IV. 12. ex Deut. VI. 13. (Matth. IV. 11. habetur. *Scriptum est.*) Ebr. XI. 18. ex Gen. XXI. 11. *Dicit DEVS, locutus est DEVS, dicit Spiritus S.* (quando ad Patriarchas, Prophetas & alios tempore V. T. dicta recensentur Luc. I. 55. Ebr. I. 21.) Act. VII. 6. ex Gen. XV. 13. Rom. IV. 18. ex Gen XV. 5. Cap. IX. 12. ex Gen. XXV. 23. II. Corinth. VI. 16, 17, 18. ex Lev. XXVI. 11, 12 Ezech. XXXVII. 27 Esa. LII. 11. Jer. XXXI. 1. 9. Ephes. IV. 8. ex Psalm. LXIIX. 19 Cap. V. 14. ex Esa. LX. 1. Ebr. I. 5, 6, 7, 8. ex Psalm. II. 7. LXXXIX. 27, 28. XCVII. 7. CIV. 7, 8 Ebr. II. 11, 12, 13. ex Psalm. XXII. 23. XIIX. 2. Esa. IIX 18. Ebr. III. 7. seqq. ex Psalmo XCV. 8. seqq. Ebr. IV. 3, 4, 5. ex Psalmo XCV. 11. Gen. II. 2. Ebr. V. 5, 6. ex Psalm II. 7 & CX. 4. Ebr. IIX. 8. ex Jerem. XXXI. 31, 35. Ebr. X. 5. ex Psalm. XL. 7, 8, 9. Ibid. v. 15, 16, 17. ex Jerem. XXXI. 34, 35. Ibidem v. 30. ex Deut. XXXII. 35. Ebr. XII. 5. ex Prov. III. 11. ibid. v. 20. ex Hagg. II. 7. Ebr. XIII. 5. ex Jos. I. 6. Jacob. II, 11. ex

2. Sub phrasi Dictum est, allegatur Scriptura S.

Exod.

Exod. XX. 13, 14. *Dixit*, vel, *Locutus est Deus*, vel *Spiritus S. per Prophetam*, *per Os Prophetæ*, *Dictum est à Domino per Prophetam dicentem*, Matth. I. 22. ex Esa. VII. 14. Matth. II. 15. ex Ose. XI. 1. Luc. I. 68, 69, 70. ex Psal. LXXII. 12. it: CXXXII. 18. Esa. LIX. 20. Jerem. XXIII. 6, 7, 8. Ezech. XXIX. 21. Dan. IX. 14. &c. Act. III. 21. fin. ex Deut. XVIII. 15. Gen. XXII. 18. &c. Act. IV. 25. ex Psal. II. 1, 2. Act. XIII. 34. ex Esa. LV. 3. Ibid. v. 35. ex Psalm. XVI. 11. Act. XXVIII. 25. ex Esa. VI. 9, 10. Rom. IX. 24. ex Ose. II. 23. Ebr. IV. 6. ex Psalm. XCV. 8. *Locuti sunt Prophetæ*, *Dicit Propheta*, *Dicit quis*, Luc. XXIV. 25. (Quod locuti sunt Prophetæ, explicatur de ipsorum Scripturis, vers. 25. Conf. v. 44, 45, 46. Sic etiam Act. XXVI. 22, 23. Act. VII. 48. ex Esa. LXVI. 1, 2. Act. IIX 32, 34. ex Esa. LIII. 7, 8. Rom. XV. 10. ex Deut. XXXII. 43. II. Petr. I. 19, 20, 21. Verbum Propheticum & Vaticinia, quæ *locuti sunt* Sancti Dei Homines, explicantur de vaticiniis Scripturæ. Ebr. II. 6. ex Psalm. VIII. 5. interdum Nomine expresso : *Dixit Moses*; Marc. VII. 10. ex Exod. XX. 12. Lev. XX. 9. Act. III. 22. ex Deut. XVIII. 15. Act. VII. 37. ex eod. loco Rom. X. 20. ex Deut. XXXII. 21. (Huc pertinet Phrasis : *Dicit lex*, &, *Dictum est in lege*, sc. per Mosen, scripto posteris relicto. Luc. II. 24. ex Exod. XXIII. 2. Lev. XII. 8. Rom. VII. 7. ex Exod. XX. 17. I. Corinth. IX. 8. explicatur versu seq. de eo, quod scriptum est in lege Mosis, scil. Deut. XXV. 4. I. Corinth. XIV. 34. ex Gen. III. 18 *David dicit*, vel *locutus est*, Marc. XII. 35, 36. ex Psalm CX. 1. Conf. Luc. XX. 42. Act. II. 25. 31. ex Psalm. XVI. 9. seqq. Ibidem v. 35. ex Psalm. CX. 1. Rom. IV. 6. ex Psalm. XXXII. 2. 3. Rom. XI. 9. ex Psalm. LXIX. 24. Rom. XV. 10, 11. ex Psalm. CXVII. 1. *Dicit*, *Dixit Esaias*, *Prophetavit Dicens* : Matth. XV. 7, 8. ex Esa. XXIX. 13. (Conf. Marc. VII. 6.) Joh. XII. 38, 39, 40. ex Esa. LIII. 1. & VI. 10. Rom. X. 17. ex Esa. LIII. 1, 13. Ibid. v. 20, 21. ex Esa. LXV. 1, 2. Rom. XV. 12. ex Esa. XI. 10. Et ut propiùs ad phrasin, quæ in textu Matthæi Habetur, accedamus, non aliter intelligitur, *Dictum per Prophetam*, vel *in Propheta*. Act. II. 16. ex Joel. II. 28. Act. XIII. 40. ex Habac. I. 5. & II. 4. Integra apud S. Matthæum in citando phrasis, *Dictum est per Prophetam dicentem*, alibi etiam apud eundem, (non verò in aliis N. T. libris) sive expresso sive tacito Prophetæ nomine, usurpata nullibi de vaticinio oretenus saltem per Prophe-

tas prolato, sed de scripto semper invenitur. *Matth.* II. 17. (Eâdem omninò sunt verba, quæ Cap. XXVII. 9. nisi quod pro *διὰ* Ιερεμίου habetur *ὑπὸ* Ιερεμίου, nullâ sensus mutatione) ex *Ierem.* *XXXI. 15. Matth. III. 3.* ex *Esa. XL. 3. Matth. IV. 14. ex Esa. IX. 1, 2.* *Matth. VIII. 17.* ex *Esa. LIII. 4. Matth. XII. 17.* ex *Esa. XLII. 1, 2, 3, 4.* *Matth. XIII. 35.* ex *Psalm. LXXVIII. 2. Matth. XXI. 4.* ex *Zach. IX 9.* Causam, cur Prophetarum *Scripturæ* ut *Sermones*, ut *Loquentes*, *dicentes* allegantur, alibi ostendunt & urgent Theologi Nostrates contra Pontificios, qui Sacram Scripturam in rebus fidei nolunt agnoscere, ut vocem Judicis, quâ controversias decidit ac dirimit. Videantur loca *Marc. XV. 28. Ioh. VII. 38, 42. cap. XIX. 24, 37. Rom. IV. 3. cap. IX. 17. cap. X. 8, 11. cap. XI. 3. Gal. IV. 30. I. Timoth. V. 18. Iac. II. 23.*

Textus, ne quid celem, ubi quis saltem oretenus prolata per Prophetas sub phrasi, *Dictum est*, citata existimaret, possent adduci *Matth. II. 23. Veniens* (JESUS) *commigravit in civitatem, quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur, quod* dictum *est per Prophetas*, quoniam Nazaræus vocabitur. Jud. v. 14, 15. *Prophetavit & de his septimus ab Adam*, *Enoch*, dicens: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis*, *&c.* Sed frustra.

Expenduntur citationes Matth. II. 23.

Expendamus *Primum*, Hieron. in h. l. Si *fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret*, Quod dictum est per Prophetas, *sed simpliciter*, quod dictum est per Prophetam. *Nunc autem pluraliter* Prophetas *vocans ostendit, se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum.* Nazaræus Sanctus *interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura* (e. g. Psalm. XVI. 10. XCIX. 3, 5, 9. Esa. VI. 5. Dan. IX. 24. Conf. Marc. I. 25. Act. III. 14. &c.) *commemorat. Possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Esaiâ scriptum sit*: Exiet virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet. In *Priori solutione* respicit נָזִיר à radice נָזַר separavit. Talis *Naziræus* (Thren. IV. 7. quædam Exemplaria Græca legerunt Ναζαραῖοι, unde ad pronunciationem Syriacam, ubi Camez effertur ut O, Ναζωραῖος,) erat segregatus à mundanis negotiis, Sanctus Domino. *Num.* VI. 5, 8, 11. sicut etiam LXX. נזר in Hiph. reddiderunt *ἁγιάζεσθαι*, sanctificari. *Num.* VI. 12. נָזִיר *ἡγιασμένον*, sancti-

sanctificatum, *Lev.* XXV. 11. *Am.* II. 12. ἁγιασμὸν *Am.* II. 11. & ἁγίασμα Sanctificationem. *Lev.* XXV. 5. in quibusdam Exemplaribus *Iudic.* XIII. 7. *cap.* XVI. 18. ἅγιον Sanctum. (Conf. *Hieron.T.11. Comm. in Ezech.* VII. *f.710. Epiphan. Hæres.29.* Nazir æi, h. e. Sanctificati,) εὐξαμένον, ἠυγμένον. Votum, devotum, sc. per votum DEO dicatum. *Num.* VI. 13, 18, 19, 20, 21. Conf. *Act.* XXI. 23, 24. Expressè nominatur נזיר & Ioseph. *Gen.* XLIX. 26. *Deut.* XXXIII. 16. & Simson *Iudic.* XIII. 5. 7. *Cap.* XVI. 17. Utrumq; autem fuisse CHRISTI typum in confesso est, & quoad varia Comparationis membra ostendunt Patres, sc. cum Josepho *Tertull. adv. Iudæos : fol. 102. Orig.* T. I. *hom. 1. in Exod. fol. 60.* T. II. *tract. 35. in Matth. fol. 173. Ambros. T. IV. lib. de Ioseph. cap. 2. & seqq. fol. 245. seqq. Hieron. T. III. Comm. in Marc.* VI. (ipsi adscripto) *fol. 782. c. Aug. T. IV. Q. in Iud. 49. & Serm. 84. Chrysost. T. I. Hom. 61. in Gen. fol. 481.* &c. cum Samsone *Ambros.* T. II. *in Prologo lib. 2. de Spir. S. f. 133. seq. Hier.* T. I. *Epist. 126. ad Evagr. f. 1060.* d. T. II. *comm. in Ezech.* XLVI. f. 982. b. c. T. II. *comm. in Marc.* XV. f. 781. d. & *in Epist. ad Philem.* f. 1073. c. *Aug. Tom.* VIII. *super Psalm.* LXXX. f. T. X. *Serm.* CVII. *de Temp.* f. Autor sub nomine *Hieron.* T. V. super *Ioh.* XII. f. 58. d. *Greg. Hom. 21. in Paulin. Epist. 4.* &c. Nec in aliis solùm, sed in ipso *Naziræi nomine* Typum Christi gesserunt. *Ioseph* dictus fuit *Naziræus*, h. e. *Separatus* (ita Chaldæus paraphrastes *Gen.* XLIX. & *Deut.* XXXIII. reddit) quia non tantùm habitatione, sed etiam moribus atq; sanctimoniâ separatus fuit à suis fratribus. Ita CHRISTUS *Ebr.* VII. 26. Alii volunt, Naziræum h. l. significare *Coronatum*, à נזר *Corona*, quia non tantùm Prorex Ægypti fuit, sed etiam dignitas Regia ad Ephraimi filii ejus Tribum transiit; quæ causa est, quod etiam, postquam Joseph non officio saltem sed & vitâ dudum defunctus erat, in Familiæ Joseph benedictione repetatur. *Deut.* XXXIII. 16. quod *veniat ad Caput Ioseph; & super verticem Naziræi è fratribus ejus.* (Conf. *Ezech.* XXXVII. 16. Amos. V. 6.) ita CHRISTUS est & dicitur *Coronatus* ob excellentiam Regiam præ omnibus hominibus. *Psalm.* VIII. 6. *Ebr.* II. 7. 9. *Psalm.* XXI. 4. CXXXII. 18. (בזרו) *Zach.* VII. 11, 12, 13. *Apoc.* XIV. 14. *Simson* Naziræus dictus, quia *Segregatus à Seculo*, (ita nominat eum *Zohar in Gen. 49.* f. 129. *Col. 3.*) & DEO devotus ad peculiarem vitæ rationem quoad Po-

tum,

tum, Capillos, vitandos Mortuos, offerenda Sacrificia, Conf. *Iud.* XIII. 4, 5, 12, 13, 14. cum *Num.* VI. 3. seqq.) quæ licet fuerit ceremonialis ac Levitica, tamen eminentioris sanctitatis moralis erat adumbratio atq; monitum. Vid. *Origin. hom.* 11. *in Lev.* f. 160. seq. Prolixiorem diductionem nonnulli qværendam esse monent apud *Cyrill. lib.* 16. *de adoratione in Spiritu & veritate*. Sed cum præter brevem quendam Dialogum sub hoc titulo in antiquioribus Cyrilli editionibus nihil habeatur, Libri autem isti 17. moderno tantùm seculo lucem viderint, nolumus suspectas merces Lectori proponere. CHRISTUS igitur, & Josephi & Simsonis antitypus, tùm ob summam dignitatem, tùm ob omnimodam Sanctitatem à cæteris hominibus, separatus ac segregatus ex consilio DEI itidem fuit nominandus *Naziræus*. Qvum verò propter Politicæ Coronæ ac Levitici Naziræatus externi defectum aliàs nõ fuisset in mundo talis appellatus, mira DEI providentia effecit, ut hoc nomen occasione commorationis in *Nazareth* sortiretur, quod ex Typis per Prophetas descriptis ipsi debebatur.. Sic *Nazoræum, Nazaræum, Nazarenum* nominârunt eum non hostes tantùm, Homines & Diaboli *Matth.* XXVI. 71. *Ioh.* XIIX. 4. *cap.* XIX. 19. *Act.* VI. 14. XXIV. 6. XXVI. 9. *Marc.* I. 24. sed Discipuli etiam *Marc.* X. 47. *Luc.* XVIII. 37. XXIV. 20. Apostoli *Act.* II. 22 III. 6. IV. 10. X. 38. Sancti Angeli *Marc.* XVI. 6 quin & ipsemet hoc sibi Nomen tribuit *Ioh.* XVIII. 5, 7, 8. *Act.* XXII. 8. Similia Exempla Impletionis, quod per Prophetas dictum est *de typo*, quando illud factum est *in Antitypo*, habentur in eod. *cap.* II. *Matth.* v. 15. *Ioh.* XIX. 36. Videatur egregius in datâ loci controversi explicatione locus & consensus *Eusebij lib.* 7. *Demonstr. Evang. c.* 2. f. 534. Nec est, quod huic interpretationi obvertatur, JESUM dici *Nazoræum* à נצר per צ ut ex Syriaca versione constet, atq; in titulo Crucis, qui Romæ in Ecclesiâ Sanctæ Crucis in Jerusalem magnâ cum reverentiâ asservatur, ita legi testentur Scriptores, (quamvis *Corn. à Lap.* qui eundem & sæpè & studiosè vidit, testetur, literas ita exesas, ut an צ an ז sit, discerni nequeat, imò potius ז esse videatur;) qvum נָזִיר per ז scribatur. Nam literæ congeneres, homogeneæ & unius Organi sunt ז & צ adeoq; facilè inter se (ex regula Grammaticorum) permutantur, præsertim quando voces & Nomina Propria in alias traducuntur linguas.

Acce-

Accedit, quod ζ Græcum ad ז Ebræum exprimendum haud rarò uſurpatur. Ita LXX. Interpretes Thren. IV. 7. appellationem literæ ז exprimunt per ζάιν, & נָזִיר per Ναζαραῖον. *Iud.* XIII. 5, 7. *cap.* XVI. 17. *Thren.* IV. 7. in quibuſdam exemplaribus per Ναζιραῖον *Amos* II. 11. Ναζαραῖον *Thren.* IV. 7. Imò ex ζ ſententia iſta de נָזִיר magis confirmari videtur; qvum Græci in Nominibus Propriis Ebræorum allegandis צ per σ & ז per ζ ſoleant exprimere. Prioris Exempla ſunt Σαβαώθ Eſa. I. 9. 24 &c. *Rom.* IX, 29. *Jac.* V. 4. pro צְבָאוֹת, צָדוֹק Σαδὼκ II. *Sam.* VIII. 17. צַדּוּקִים Σαδδουκαῖοι. *Matth.* XXII. 23. &c. צוֹבָה Σουβὰ I. *Sam.* VIII. 13. צִפֹּרָה Σεμφόρα vel Σεπφωρὰ *Exod.* II. 22. צָרְפַתָה Σάρεπτα, Σάρεφθα I. *Reg.* XVII. 9. *Luc.* IV. 26. חָצוֹר Ασὼρ *Jos.* XI. 1. תִּרְצָה Θερσὰ *Job.* XII. 24. צִיּוֹן Σιὼν *Matth.* XXI. 5. &c. מַלְכִּי־צֶדֶק Μελχισεδὲκ *Ebr.* V. 6. &c. Poſterioris Exempla גָּזֶר Γαζαρὰ II. *Sam.* V. 25. הֲדַרְעֶזֶר Αδραζὰρ, Αδρίζαρ, Αδραέζερ II. *Sam.* VIII. 3. ſeqq. זְבֻלוּן ζαβουλὼν *Gen.* XXX. 20. *Matth.* IV. 13, 15. זֶרַח ζαρὰ *Gen.* XXXVIII. 30. *Matth.* I. 3. זְכַרְיָה Zacharias *Mat.* XXIII. 35. &c. זַבְדִּי ζεβεδαῖος *Matth.* IV. 21. &c. זְרֻבָּבֶל ζοροβάβελ *Matth.* I. 12. בַּעַל זְבוּב Βεελζεβοὺλ *Matth.* XII. 24. &c. & ſic in reliquis.

In *Poſteriori ſolutione*, quam ſuperiùs ex Hieronymo allegavimus, reſpicitur ad נֵצֶר *Surculus*; unde nomen oppidi, addito ω formatum putant, à rad. נָצַר *cuſtodivit.* Expreſsè enim CHRISTUS appellatur נֵצֶר *Eſa.* XI. 1. & voce ſimilis ſignificationis צֶמַח *Zach.* III. 8. VI. 13. Utut enim apud ſolum Eſaiam נֵצֶר appelletur, à Matthæo autem *Prophetarum* mentio fiat, tamen hoc non alienum eſt à literaturâ N.T. ut Prophetæ nominentur in plurali, quando vel de unico ſermo eſt. *Ioh.* VI. 45. ex *Eſa.* LIV. 13. *Act.* XIII. 40. ex *Habac.* I. 5.

Ad *Alterum dictum* ex *Iud.* v. 14. reſponderi poteſt, 1. Hanc ipſam ſimul cauſam eſſe, cur inter Apocrypha olim rejecta fuerit iſta Epiſtola; quia ſc. alleget in Scripturâ Canonicâ non re-

 pertum

pertum *Exemplum* v.9. & *Dictum* v. 14, 15. V. *Hieron. in Catal. Luth.* T.5. *Lat. VVitt. comm. in h. l. 2.* A multis etiam hoc *Dictum* Enochi explicari ut *Scriptum* sive per ipsum Enochum, cujus liber à Diluvio fuerit in arcâ asservatus, vel à Noe afflatu Spir. S. redintegratus, (*Tertull. de habitu mulier. cap.3.* f.161.seq.) sive per incertum Autorem, adeoq; pro Apocrypho habitum, *Orig.* T, I. *hom.28. in Numer.* f.282. & *lib.* περὶ ἀρχῶν *cap.2. Athanas.* T. II. *in Synopsi S. Script.* f.134. *Beda* T. V. *Opp. comm. in h. l.* f.1056.) ex quo Testamentum XII. Patriarcharum (quod in Orthodoxographiâ extat, ejusq; *Origenes T.I. Hom. 15. in Iosuam.* f.318. meminit) *Iren.lib.4. cap.30.f.257. Tertull. de cultu fœm. cap. 10. f. 168.* & *lib. de idololatr. c. 4. f. 150.* ut & *Iustinus*, *Athenagoras*, *Clemens Alex. Methodius, Cyprianus, Lactantius, Sev. Sulpitius, Proclus, Psellus*, nonnulla allegant. Utut enim Apocryphus fuerit iste Liber, & multis erroribus, sive primi Scriptoris, sive (quod probabilius censent *Corn. à Lap. in h.l. Torniell. Annal. sacr. ad ann. 628. f. 70. Dannhavv. in Christeide* p.889. post Apostolorum tempora corrumpentium vitio, refertus: Tamen non illicò totum Scriptum approbari, si quid ex eo citetur, eruditè ostendit *Hieron.* T.III. *comm. in T. I.* f.1048. 3. Quamvis concedatur, Prophetiam Enochi saltem oretenus prolatam citari, eamq; S. Judam sive ex continuâ quâdam ac receptâ traditione, sive ex immediatâ Spir.S. inspiratione habuisse, maximam tamen inter hunc & S. Matthæi locum controversum intercedere differentiam. Siquidem ab Evangelista Jeremias allegatur, cujus Prophetia & scripto comprehensa, & in præsentem usq; ætatem habetur; quum contrà citatum à Judâ Enochum quicquam scripsisse, quod prophetaverat, nullatenus possit ostendi. Certè non extat. Allegatum à Matthæo vaticinium in alio V. T. libro Canonico, sc. apud Zachariam legitur: Non autem Prophetia Enochi. Potuit in Historicâ assertione, quod jam olim etiam de impiorum damnatione tùm Exemplis v. 5, 6, 7. 11. tùm Concionibus inculcata fuerit notitia, Judas ad Enochi Prophetiam ex Traditione non scriptâ, sed tunc in vulgus notâ & creditâ, provocare. Talis autem Oralis duntaxat Traditio locum non habet in Matthæo, cujus scopus est, ex impletis in JESU Nazareno Prophetarum vaticiniis supremum Fidei Articulum probare, quod ipse sit verus Messias. Ideò citationi

tioni præmittit, *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam;* qvum econtra Judas nudè recenseat: *Prophetavit & de his septimus ab Adam Enoch.*

VII.

VII. Quod Zacharias scripserit Prophetiam Ieremiæ.

Explicationi proximè præcedenti affinis est ea,quæ nodum ita solvere molitur,quod *Zacharias* vixerit *in disciplinâ Ieremiæ.* Hujus esse Prophetiam citatam, licet à Discipulo ejus Zachariâ descriptam. Admittit hanc interpretationem *Ravanel. Biblioth. sacr.* in V. *Ieremias.* Sed 1. Contra hanc etiam militat, quod proximæ oppositum est, sc. quod phrasi, *Dictum est per Prophetam*, allegetur vaticinium ab eodem quoq; descriptum. 2. Ne minima quidem conjectura producitur *de Zachariâ*, quod *in Disciplina Ieremiæ* constitutus fuerit. Certè nec in dubiis ac multarum fabularum admixtione refertis scriptionibus de vitis Prophetarum (tantum abest, ut in probatis,) vel minimum hujus rei habetur indicium. Neq; legitur Jeremias aliquod Collegium filiorum Prophetarum suo tempore habuisse & rexisse, sicut olim Samuel, Elias, Elisa: Neq; alius ejus Scriba & Minister nominatur,quàm Baruch,*Ierem.* XXXII. *12.* 14. *cap.* XXXVI. 4, *6*, 18, *26.* 32. etiam in Ægyptum, ubi Jeremiam mortuum esse unanimis est sententia,cum eo ductus,*cap.* XLIII. 6. Valdè juvenem oporteret fuisse Zachariam, si ante vastatam Jerusalem (postea enim Jeremiam hunc Discipulum habuisse nemo asserit, aut asserere ullâ verisimilitudine potest,) in disciplina Jeremiæ vixisset: Siquidem certum est ex *Zach.* I. 1. quod demum anno secundo Darii prophetari cœperit, & quod aliquot annis adhuc supervixerit,ex *cap.* VII. 1. *Esr.* VI. 14, 15. constat. Jam verò (ut exChronologorum computatione colligitur) CLXXX. anni intercesserunt inter Prophetiæ ejus initium & Urbis excidium,qvin &plures à tempore, quo Jeremiæ Discipulum Zachariam fuisse prætenditur. Utut cum fictitio Dorotheo & Epiphanio (*Bellarm. de Script. Eccl. p. 67. Baron. ad ann. 33. n. 40.* & *ad ann. 45. n. 44. ad ann. 59. n. 11. Estius in Rom.* XVI. f. 185. seq. *Zehner. præfat. Epiphan. Historiæ de Prophetarum vitâ. Chamieri Panstrat.* T. II. lib. 20. c. 9. S. 17. f. 412.) in ejus vitâ quos Rom. Martyrologium sequitur, concedamus,quod deChaldæâ Senex in patriam venerit,tamen nescio, an tantus annorum numerus conveniat ætati ejus temporis hu-

manæ. *Hæc enormis eſt ætas hominis, & illo ſeculo inaudita*, inquit *Corn. à Lap.* de Daniele, quem *Perer.* 138. annis vixiſſe ſtatuerat. Quanto magis hoc dicendum, quando Zachariam ultra 200. annos vi-
3. xiſſe juxta hypotheſin datam aſſeritur. 3. Quæ cauſa eſſet, quod ſaltem poſt duo fermè ſecula à Jeremiâ auditam Prophetiam ſcripto mandâſſet? Quod enim poſt ſuam in Judæa propheticam functionem demum ſcripſerit; manifeſtum eſt ex ejus
4. libro. V. *Tarnov. in Zach.* XI. p. 301. 4. Inſvetum planè eſt, ac incongruum autoritati alicujus immediatè impulſi Prophetæ, ut ab alio ſaltem auditam prophetiam in ſuâ & pro ſuâ conſiſignet, nullâ etiam illius, â quo acceperit, factâ mentione. *Non* enim *voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* II. *Petr.* I. 21. *Omnis ſcriptura eſt divinitus inſpirata.* II. Tim. III. 16. 5. Omnium fortiſſimè
5. hanc ſententiam refutat ipſe Zacharias, qui viſiones & Prophetias non ab altero auditas, ſed ſibi ipſi oblatas & inſpiratas eſſe luculenter teſtatur Cap. I. 1. &c. Speciatim *cap.* XI. 4. quando DEI Patris & CHRISTI Dialogiſmum in Viſione ac Typo ſibi repræſentatum ſcripturus erat, præmittit: Sic *dixit Dominus DEVS meus.* Et poſtea v. 15. *Dixit Dominus ad me: Adhuc ſume tibi vas Paſtoris ſtulti*, i. e. poſtquam præcedentia tibi revelata fideliter annunciâſti, etiam ea, quæ jam revelabo, demonſtra typo, atq; verbo ediſſere. Quin & in ipſis verbis citatis v. 13. *Dixit Dominus ad me*; idem quod apud Matthæum ita effertur: *Sicut conſtituit mihi Dominus.*

VIII.

VIII. Quod Zacharias fuerit Binominis.

Quidam ſtatuunt *Homonymiam in appellatione Ieremiæ*, ita ut per eum non filius Chilkiæ, qui Joſiæ temporibus prophetare cœperit, ſed filius Berechiæ, qui *& Zacharias & Ieremias dictus* fuerit, ac poſt captiv. Bab. prophetaverit, intelligatur. Hanc ſolutionem cæteris præfert *Thumm. Diſquiſ. de verbo* DEI. *Theor.* 1. *de libr. Can. & Apocryph.* p. 107. *Tarnov. in Zach.* XI. p. 301. & tutiſſimam cenſet *Balduin. comm. in Zach.* XI. p. 733. cui & ego calculum adderem præ cæteris, ſi poſtrema, quæ adducetur, deſerenda eſſet. In confeſſo enim eſt, quod uni perſonæ haud rarò in Scripturâ duo vel plura etiam tribuantur Nomina. Videatur *Glaſſ. Gramm. ſacr. lib.* 4. *tract.* 3. *Obſerv.* 12. p. 756. ſeqq. 763. ſeq. Quin & mu-

tantur

tantur apud Ebræos Nomina in alia ejuſdem aut diverſæ ſignificationis; præſertim in Nominibus, in quibus aliquot literæ Nominis יהוה extant. E. g. *Iudas* & *Thaddæus* Matth. X. 3. Act. I. 13. quia & יְהוּדָה & תּוֹדָה ab una radice יָדָה *Chemn. Harm. Evang. cap.* 50. p. 273. quamvis dici posſit, ipſum *Iudæ* nomen Syriacè exprimi *Thaddai*; Ita *Iojakim* & *Eliakim* II. Reg. XXIII. 34. II. Par. XXXVI. 3. Judith. IV. 5. quia & יָה & אֵל eſt Nomen DEI. Sic *Iojada* II. Par. XXIV. 20, 21. qui cenſetur dictus *Barachia* Matth. XXIII. 35. Pari modo etiam Zachariæ & Jeremiæ. Nam utrumq; nomen à יָה deductum eſt. Illud *Exaltatum à DEO*, hoc *Memorem DEI notat*.

Difficultates, quibus hæc ſolutio premitur, videntur eſſe ſequentes. *Non caret difficultatibus* 1. Nullo teſte poteſt probari, quod Zacharias Propheta binominis fuerit, Ieremias etiam appellatus. Reſp. Talis probatio non ſemper ex clarâ literâ, ſed etiam ex Circumſtantiis per bonam Conſequentiam eruenda. Ubi extat, quod *Achimelech* ſacerdos, de quo I. *Sam.* XXI. 8. binominis fuerit, *Abjathar* quoq; dictus? Colligendum hoc eſt ex collatione *tùm* Facti ejus ibidem deſcripti, & *Marc.* II. 26. ſub nomine Abjathar allegati, *tùm* ex II. *Sam.* VIII. 15. & I. *Chron.* XXIV 3, 6. cum II. *Sam.* XV. 27, 29, 35. I. *Reg.* II. 26. 27. ex quo colligitur, & Patrem & filium fuiſſe binominem, dictum Achimelech & Abjathar. Quod *Iojada* Pontifex etiam appellatus fuerit *Barachia*, colligitur ex collatione hiſtoriæ II. *Par.* XXIV. cum *Matth.* XXIII 35. Qvum enim Nomen interfecti & Locus patratæ cædis conſentiant, ſola autem in Patris Nomine ſit differentia, concluditur, illum utroq; fuiſſe appellatum. Ita hic, quia textus ſub nomine Jeremiæ citatus apud Zachariam reperitur, exinde colligi poteſt, quod utrumq; Nomen geſſerit.

1. ℞.

2. *Matth.* II. 17. per Prophetam Ieremiam intelligitur, qui ante excidium Ieruſalem vixit. Ergo idem quoq; *cap.* XXVII. 9. allegatus eſt intelligendus; qvum nullum utrobiq; notari poſſit diverſitatis vel minimum indicium. Reſp. Diverſitas apparet in citatis textibus, quorum ille apud Majorem, hic verò apud Minorem ac poſteriorem Prophetam extat. *2. ℞.*

3. Nullibi S. Matthæus aliqvem ex Prophetis Minoribus citavit nominatim (*Cap.* XII. 40. non allegatur Scriptura & Pro- *3.*

phetia, sed Historia Ionæ) prout quidem ex Majoribus Esaiam, Ieremiam, Danielem nominavit, sed tantùm generatim: *Dictum per Prophetam dicentem cap.* II. 15. ex *Ose.* XI. 7. *cap.* XII. 7. & generaliùs adhuc *cap.* IX. 13. Discite, quod est, ex *Ose.* VI. 6. *Cap.* XXI. 4. ex Zach. IX. 9. Scriptum est, *Cap.* XI. 10. ex *Mal.* III. *Cap.* XXVI. 31. ex *Zach.* XIII. 7. Non ergo probabile est, quod in solo *Cap.* XXVII. solum Zachariam, & quidem nomine alio, quod nullibi aliàs ipsi datum legitur, citaverit. Accedit, quod nec in aliis N. T. libris, excepto *Act.* II. 16. *Rom.* IX. 25. Nomina Minorum Prophetarum allegata inveniuntur, sed vel tantùm verba, absq; mentione ullius citationis, *Luc.* I. 17. ex *Mal.* IV. 5, 6. Ib. v. 33. ex *Mich.* IV. 7. *Luc.* XXIII. 30. *Apoc.* VI. 16. ex *Ose.* X. 8. *Rom.* X. 15. ex *Ioel.* II. 32. *Gal.* III. 11. & *Ebr.* X. 38. ex *Habac.* II. 4. vel sub generalioribus phrasibus, dicit DEUS. *Ebr.* XII. 26. ex *Hagg.* II. 8. Dicit Scriptura, *Ioh.* XIX. 37. ex *Zach.* XII. 10. Scriptum est. *Rom.* I. 17. ex *Habac.* II. 4. *Rom.* IX. 13. ex *Mal.* I. 3. *Rom.* X. 15. ex *Nah.* I. 15. Verbum Scriptum I. *Cor.* XV. 54, 55. ex *Ose.* XIII. 14. vel sub mentione Prophetarum in plurali Numero: Scriptum in libro Prophetarum. *Act.* VII. 42. ex *Amos* V. 25. Dictum in Prophetis, *Act.* XIII. 41. ex *Habac.* I. 5. Sermo Prophetarum. *Act.* XV. 14. ex *Amos* IX. 11. Omnes enim hos XII. Prophetas Ebræi Doctores uno titulo ac libro comprehendunt, sub appellatione תְּרֵיסַר quæ Chaldaica vox est, ex תְּרֵי *Duo* & עֲסַר *Decem* composita, adeoq; significans *Duodecim*; ad quam appellationem *Ecclesiasticus* quoq; *cap.* XLIX. 12. respicit. V. *Fabric. Partit. Cod.*
℟. *Ebr. cap.* 18. p. 110. ℟. Qvum verò negari nequeat, alicubi etiam hosce nominatim citari, utut non apud S. Matthæum, non arbitror, hanc oppositionem pro infringendâ, quæ jam ventilatur, sententiâ solam sufficere posse.

IX.

IX. Quod Ieremias Zachariæ Nomen assumserit, vel in eum migraverit.

Franc. Iunius in Parall. sacr. ad h. l. meminit nonnullorum, qvi putent, Evangelistam citando Ieremiam respectum habuisse ad *opinionem Judæorum*, existimantium, quod *vel* ipse Ieremias ex Ægypto tandem ad reducem Populum venerit, assumto Zachariæ nomine, *vel* per μετεμψύχωσιν in Zachariam transmigrârit: Ad hanc Iudæorum opinionem collimare, quod II. *Macc.* II. 1. &c. *cap.* XV. 13. 17. habetur, & quod nonnulli CHRISTUM pro Ieremiâ

miâ habuerunt *Matth.* XVI. 14. Sed hæc omninò explodenda. Nam 1. Ut ipse Ieremias secundo anno Darii adhuc prophetârit, quod *Zacharias* Cap. I. 1. *cap.* IV. 1. de se affirmat, ætas ejus non admittit. Vide, quæ ad Sententiam Septimam dicta sunt. 2. Nulla potest ostendi, vel etiam probabiliter fingi ratio, cur sub alio assumto Nomine prophetaverit, & peculiarem librum à suo priori distinctum conscripserit. 3. Evangelista non Iudæis tantùm, sed & Gentibus, inter quas Prophetarum Codices itidem habebantur, scripsit. Quomodo ergo non ex suâ sententiâ, sed Iudæorum saltem opinione, & quidem maximè erroneâ, in probando fidei dogmate de IESU Nazaræo Prophetam allegasset ac nominasset? R. 1. 2. 3.

X.

X. Quod aliud Nomen ponatur, ad indicandum Omnium Prophetarum consensum.

Augustinus lib. 3. de consensu Evang. cap. 7. post allatam sententiam, quæ sub *Num.* II. expensa est, subjungit: *Cum ita constituerit Dominus, prima illa causa utilisima debet facilimè cogitari, etiam sic esse insinuatum, ita omnes Sanctos Prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multò amplius sit, quàm si omnia Prophetarum uno unius ore dicerentur, & ideo indubitanter accipi debere, quæcunq; per eos Spiritus S. dixit, & singula esse Omnium, & omnia Singulorum. Cum igitur & quæ dicta sunt per Ieremiam, tàm sint Zachariæ, quàm Ieremiæ, & quæ dicta sunt per Ieremiam, tàm sint Ieremiæ, quàm Zachariæ, quid opus erat, ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio sibi nomen occurens à se scriptum relegisset, ac non potiùs sequens Matthæus autoritatem Spiritus S. à quo mentem suam regi plus nobis utiq; ille sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos, tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurdè, imò congruentissimè, etiam Ieremiæ deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus.* Ex his verbis desumpta est *Glossa ordinaria* super istum locum Matthæi, *Beda T. V. comm. in h. l.* f. 110. non sententiam modò Augustini sequitur, sed eadem propè verba ab eodem mutuatus est. Adstipulatur *Gerson T. I. in Monotess.* c. 146. Sed nec ista expositio, ingeniosa licet, omni vacat difficultate. R. 1. Certè in istis locis N. T. ubi generatim duntaxat allegatur Scriptura aut etiam Propheta, absq; expresso ejus nomine Proprio, convenientissimè notatur omnium Prophetarum, quippe ab uno Spiritu gubernatorum,

natorum, concordia, ut cujusq; Nomen ſimul addere neceſſarium non fuerit. Eſt enim *Omnis iſta Scriptura* θεόπνευςος. II. *Tim.* III 16. *Non voluntate hominis allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirati locuti ſunt Sancti* DEI *homines.* II. *Petr.* I. 21. Quin & contra Pontificios illud ipſum, quod de uno Spiritu per omnes Prophetas loquente adduxit Auguſtinus, notandum eſt: Siquidem S. Scripturam imperfectionis arguere, & Traditionum non ſcriptarum neceſſitatem urgere volunt qvia ex verbo ſcripto non poſſit liquidò conſtare, qvis cujuſqve libri Canonici aut omnium partium ejuſdem genuinus Autor ſit; qvum tamen parum interſit, cujus miniſterio Spir. S. in unoquoq; conſignando uſus ſit, dum modò ab ejus inſpiratione hanc Scripturam profectam eſſe conſtet. Alia autem omninò eſt ratio, qvando in S. Scripturâ non tantùm indicatur, vaticinium eſſe à DEO, ſed ſimul etiam cauſa Miniſterialis, per qvam illud manifeſtavit, nominatim exprimitur. Phraſi, *impletum eſt, quod dictum fuit per Prophetam*, innuitur gubernatio DEI, qvi locutus eſt per Prophetam, ut idem ſit, ac, *Dictum à Domino per Prophetam*; Prout integra iſta Phraſis habetur Matth. I. 22. cap. II. 15. Act. IV. 25. & aliis in locis. Qvando autem ſimul Nomen Prophetæ additur, cujus ore & calamo DEUS uſus ſit in promulgando hoc vel iſto vaticinio, non video, qvomodo unum Nomen pro altero ſubſtitui potuerit absq; jactura veritatis, ſaltem hiſtoricæ. Salvâ eâ poteſt Nomen reticeri, cùm de primario Auctore conſtet: Aliud verò & qvidem falſum poni, non item. Is enim, cujus inſtinctu & directione Omnes Prophetæ locuti ſunt, eſt Spiritus veritatis, qui in *omnem* veritatem ducit, prout ſupra etiam ad *Sent. II.* monui. 2. Utut in
2. Dogmatibus ſcripta omnium Prophetarum conſentiant: Tamen non negari poteſt Styli ac Verborum diverſitas, in evidens teſtimonium, qvod Spiritus S. genus ſermonis, cui unus præ altero ſive naturali qvodam ductu ſive ex inſtitutione & doctrina aſſvetus fuit & addictus, non planè immutaverit, ſed tamen ad ſuum nutum attemperaverit, ut & Res & Verba conſignarentur ipſo Duce & Directore. (Videantur, quæ hinc inde annotârunt tùm priſci tùm recentiores de *ſingulorum Prophetarum ſtylo* & diſcrimine inter ſe invicem.) Non ergò in omnibus ac ſimpliciter perinde eſt, ſive hujus ſive illius Nomen circa aliquem textum citetur.

3. Ex

3. Ex Pontificiis *Bonfrer. Præloq. in Script. S. cap. 7. sect. 4. f. 25.* (Commentario ejus in Pentateuchum præmittitur,) ſimili prætenſioni ita obviare nititur : *Sunt, qui inutilem cenſent hanc quæſtionem* (de Scriptore Pſalterii :) *Nam ſive Davidis ſint omnes, ſive horum aliqui alios habuerint Scriptores, dummodo omnes fatemur eſſe Scripturam Sacram, nihil intereſſe videtur; cum conſtet, omnes divini Spiritus afflatu eſſe conſcriptas. Verùm pari modo diceretur, in reliquis omnibus S. Scripturæ libris inutiliter & ſine fructu de Autore quæri: Dum conſtat, eſſe Scripturam ſacram, nihil ulterius eſſe requirendum. At conſtat, hanc in cæteris non inutilem eſſe quæſtionem, quam tot Doctores, tot SS. Patres movent & examinant. Adde verò, eſto, eadem ſit autoritas, eadem ſit reverentia exhibenda cuilibet S. Scripturæ parti ob primarium Autorem DEUM : At nemo ignorat, à Scriptore & Autore ſecundario quandam accidentariam dignitatem poſſe accedere, præterquam quod volupe ſit cognoſcere, & ad DEI laudem faciat ſcire, per quos divina ſacrarum Scripturarum volumina ad nos pervenerint.*

XI.

Qui *à Ieremiâ*, ſed tamen *in alio libro* poſt temporum decurſus *perdito*, citatum vaticinium ſcriptum eſſe contendunt, provocant ad teſtimonium *Hieronymi* T. III. *comm. in Matth. 27. f. 724.* Cujus verba ſunt : *Legi nuper in Hebraico quodam volumine, quod Nazaræ Sectæ mihi Hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum ſcripta reperi. Orig.* T. II. *Hom. 35. in Matth. f. 193.* ſuſpicatur, ſi non error ſcriptionis ſit in permutatis Prophetarum nominibus, eſſe aliquam ſecretam Jeremiæ ſcripturam, in quâ ſcribatur. Sic etiam *Lyra in h. l.* Sed Reſp. 1. Periculoſa eſt aſſertio, quod S. Evangeliſta, qui in toto libro potiſſimùm intendit probationem dogmatis, quod JESUS ſit Nazarenus, quia in ipſo Prophetarum vaticinia impleta fuerint, argumenti locô ad ſecretam & incertam quandam Scripturam provocaverit, quæ tamen in Eccleſiæ Iſraëliticæ Canone nō fuerit reperta. Quando Apoſtolis res fuit cum Ethnicis, teſtimonia κατ' ἄνθρωπον recepta etiam ex Ethnicorum libris adduxerunt interdum *in Moralibus* ſive exhortationibus, ſive dehortationibus, ſive reprehenſionibus. *Act.* XVII. 28. I. *Corinth.* XV. 33. *Tit.* I. 12. 13. in nudis etiam *Hiſtoriis* recenſendis alicubi quædam accidentaria addunt, in libris Canonicis non extantia, ſed vel ex immediatâ re-

XI. Quod Liber ſit deperditus.

℞. 1.

velatione, vel receptâ traditione, vel apocryphâ scriptione sibi nota II. *Tim.* III. 8. In probando autem præcipuo *Fidei Articulo* ad incertas atq; non receptas Scripturas provocare ipsis planè insolitum, & certitudini Religionis Christianæ prorsus incongruum est.
2. 2. Si liber iste scriptus à Jeremia continuit Prophetias de CHRISTO & in ipso complendas, ut agnosceretur pro vero Mesiâ, prout ipsum ita allegat Evangelista sub Phrasi: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam Ieremiam dicentem &c.* utiq; non tantùm fuit ab eo, tanquam nudo Historico, sed ut à Propheta immediatâ DEI inspiratione scriptus, adeoq; etiam divinus & Canonicus. Talem verò propriè dictum periisse, nunquàm demonstrabitur. Scripserunt Prophetæ, sicut & in N. T. Evangelistæ & Apostoli; nonnulla, *ut Homines*, alia autem ut *Sancti DEI Homines* divinâ inspiratione immediatè gubernati. *Priora* quædam interiisse facilè conceditur, non autem *Posteriora*. Videatur *Aug.* T. V. *de C. D. lib.* 18. *cap.* 38. *f.* 1099. b. *Gerh. Exeg. de S. Script.* §. 108. seqq. & *Confess. Cathol. lib.* 2. *art.* 1. *cap.* 4. pag. 254. seqq. *Rivet. Isag. in S. Script. cap.* 6. pag. 61. seqq. &c.
3. 3. Ipsa *persona sectæ Nazaræa*, quæ hujusmodi librum Hieronymo legendum tradidit, fidem ei detrahit. Hoc enim Hæreticis in more positum fuit, ut ad peculiares Scripturas orthodoxæ Ecclesiæ vel incognitas vel improbatas se reciperent, tanquam à Scriptoribus Canonicis editas. De *Valentinianis* refert *Iren. lib.* 1. *adv. hæres. cap.* 17. *f.* 68. Afferunt immensum Apocryphorum & Scripturarum notharum multitudinem, ut stupefaciant amentes & ignaros verarum literarum. Prolixiùs de hâc ipsorum audaciâ agit *lib.* 3. *cap.* 11. f. 188. *Sethiani* quosdam libros nomine Sethi, Abrahami, Mosis, confictos habuerunt, ut est apud *Epiphan. lib.* 1. *tom.* 3. *Hær.* 39. f. 129. Quod sub nomine Apostolorum ab Hæreticis prolata sint Petri & Thomæ & Matthiæ & cæterorum similiter Apostolorum Evangelia; sed & Andreæ & Johannis atq; aliorum Apostolorum Actus narrat *Euseb. lib.* 3. *Histor. Eccl. cap.* 25. f. m. 708. Plurima hujusmodi scripta supposititia recensuit *Gelas.* 1. & autoribus ipsorum Hæreticis anathema dictum est *Sancta Romana dist.* 15. Inprimis *Nazaræi* (quod antea orthodoxis nomen erat *Actor.* XXIV. 6.) ex Judæis conversi, sed in legalium observatione simul hærentes, & postea Ebionis

quibus-

quibusdam erroribus simul imbuti, aliàs etiam *Minei dicti* (*Hieron. Epist. 89. f. 950.*) gloriati sunt, quod haberent Matthæi Evangelium perfectissimum Ebraicè, quemadmodum ab initio scriptū esset; quâ suâ jactantiâ Epiphanio etiam (Vid. *T. 11. lib. 1. Hæres. 20.*) & *Hieronymo* (vide ipsum *T. I. de script. Eccl. f. 347. in Matth.* & *T. III. comm. in Matth. 12.*) imposuerunt. Videtur de isto Evangelio *Eusebius* scripsisse *lib. 3. Histor. Eccl. c. 25.* quod in Ecclesiâ ei contradicatur. Conf. *Sixt. Sen. lib. 1. Biblioth. lit. H.* Hebræorum Evangelium f. 72. seq. *Theodoretus T. II. lib. 2. Hæret. Fab.* ait, quod Evangelio secundum Petrum usi sint. Quid ergo miri, si etiam *sub Ieremiæ nomine* aliquem habuerint librum, vel suo demum tempore confictum?

XII.

Qui loci controversi difficultatibus mederi volunt per prætensam *libri Ieremiæ mutilationem*, quod sc. textus citatus verè ibi extiterit, sed Judæorum malitiâ postmodum fuerit erasus, illi hôc ipsô periculosum & Scripturæ Canonicæ & Christianæ religioni vulnus infligunt. *Quæ* enim *autoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox* (scil. textum Scripturæ esse corruptum) *admittitur, si alicujus ponderis æstimatur?* superiùs jam ex *August. T. VI. lib. 11. contra Faust. Manich. cap. 2.* monitum est. Prolixè atq; ex professo textum Ebræum ab omni corruptionis labe vindicârunt ex Nostris *Gerhard. Exeg. de Script. S. §. 318. seqq. Glass. Philolog. sacr. lib. 1. Tract. 1. Calov. Comm. in Aug. Conf. T. I. Tract. 2. Dissert. 2. membr. 4. pag. 369. seqq.* ex Calvinianis *Chamier. Panstr. Cathol. T. I. lib. 12. cap. 11. seqq. Polan. Syntagm. Theol. lib. 1. cap. 37. p. 490. seqq.* quin & ex Pontificiis nonnulli. Vide eos nominatos à *Gerh. Conf. Cathol. lib. 2. art. 1. cap. 2. p. 81. seqq.* De *loco Ieremiæ citato* ut nominatim dicamus, non est, quod ex odio erga Jesum Nazarenum à Judæis erasum aliquis suspicetur; qvum plura alia, eaq; clariora & circa principalia magis, prout in N. T. citantur, in Ebræo adhuc textu integra & incorrupta legantur. Dicant, quorum hæc est suspicio, corruptionem, *ante*, an *post* Evangelium à S. Matthæo scriptum censeant factam. Quod *præcesserit*, vix asserent, qvum Evangelista utiq; ex libro Prophetico textum citaverit suâ ætate ibi lectum. Si demum *subsecutis temporibus*: quomodo

XII. Quod Textus Ieremiæ per Judæos corruptus. Resp.

modo corruptio ista omnes Ebræos Codices, quorum plurimi in Christianorum manibus fuêre, potuit inficere? Communissima Pontificiorũ, qui potissimùm pro Vulgatâ suâ extollendâ Fontes Ebræos impuritatis accusant, opinio est, quod demum post Hieronymi ætatem perversitas hominum eos corruperit. Ast etiam prisci ante ipsum Ecclesiæ Doctores textum, prout ab Evangelista allegatur, se in Jeremiæ libro non invenisse testantur. *Orig. T. II. Tract. 35. in Matth. f. 193. Inter ea, quæ scripta sunt, non invenitur hoc Hieremias alicubi prophetâsse in libris suis, qui vel in Ecclesiis leguntur, vel apud Iudæos referuntur. Si quis autem potest scire, ostendat, ubi sit scriptum. Euseb. lib. 10. Demonstr. Evang. 4. f. 608. Diligenter considerabis, quùm hæc non habeantur apud Hieremiam Prophetam, num arbitrari oporteat, ea per quandam malitiam ex illo sublata esse, an verò librarii erratum fuisse, qui negligentiùs sanctorum Evangeliorum exemplaria confecerit, & ex negligentia in errorem inciderit, & pro Zacharia posuerit Hieremiam &c. Hieron. T. IV. in Psalm.* LXXVII. f. 204. post allegatum Matthæi textum: *ut impleretur*, inquit, *quod scriptum est in Hieremiâ Prophetâ: Retulit*, inquit, *triginta argenteos, pretium, quod appretiatum est, & cætera. Scriptum est*, inquit, *in Hieremiâ Prophetâ: Hoc in Matthæo scriptum est. Requisivimus in Hieremiâ Prophetâ, & hoc penitus invenire non potuimus, sed invenimus illud in Zachariâ.*

XIII.

XIII. Quod respiciatur Ieremiæ Caput XVIII.

Quando obtinuimus hucusq;, & rectè apud Matthæum legi nomen Jeremiæ, & librum Prophetæ hujus nominis nec deperditum nec corruptum esse, laboratum est ab Interpp. an vestigia legere possint, ducentia ad locum Prophetæ, quem Evangelista respexerit. Sunt, qui opinantur, digitum intendi ad *Ieremiæ Caput* XVIII. ubi Propheta fuerit Figuli domum ingredi jussus. Sed cùm præter *nomen Figuli* vix quidpiam afferri posit, quod ad Evangelistæ scopum atq; textum qvadret, non est, ut huic expositioni dispungendæ immoremur.

XIV.

XIV. Quod Ierem. Cap. XXXII. respiciatur.

Majori verisimilitudinis specie ab aliis recurritur ad *Ieremiæ Cap.* XXXII. Cum Matthæus *emti Agri*, & *Figuli*, & *Peregrinorum* meminerit *v. 7. 8. 9.* putant, comparationem institui cum textu Jeremiæ, ubi itidem fiat mentio *emti Agri v. 9. Figulini vasis*, in quod literæ emtionis fuerint repositæ *v. 14.* & *Peregrinorum*, in quorum pote-

potestatem Urbs deventura esset, *v.* 22. Quia enim de *Agro emto* nihil dixerit *Zacharias*, sed potius *Ieremias d. l.* qui in istâ emtione aliquid mysterii subesse cognoverit, *v.* 9. ideo ipsum nominatim ab Evangelista citari existimant. *Aug. lib. 3. de cons. Evang. cap.* 7. Post allatam explicationem, quam N. X. expendimus, hanc subjungit: *Est etiam alia causa, cur hoc nomen Hieremiæ in testimonio* Zachariæ *sit manere permissum, vel potiùs S. Spiritus autoritate præceptum sit. Est apud* Hieremiam, *quòd emerit Agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretij quod positum est apud* Zachariam, *Triginta argenteis. Quod autem prophetiam* de XXX. argenteis *ad hoc interpretatus sit Evangelista, quomodo de Domino completum est, manifestum est. Sed ad hoc pertinere etiam illud* de Agro emto, *quod* Hieremias *dicit, hinc potest mysticè significari, ut non hîc* Zachariæ *nomen poneretur, qui dixit de* triginta argenteis, *sed* Hieremiæ, *qui dixit*, de Agro emto: *ut lecto Evangelio atq; invento nomine* Hieremiæ, *lecto autem Hieremiâ & non invento testimonio* de XXX. argenteis, *invento tamen* Agro emto, *admoneretur lector, utrumq; conferre, & inde sensum enucleare prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino completum est.* Rectè autem contra socium suum Sanctium hâc in parte judicat Corn. à Lap. Comm. in Jerem. XXXII, 14. *Hæc sententia est conjectura ingeniosa: sed difficilis & perplexa.* Nam planè non convenit Agri emti (1) *Nomen* & *pristinus Possessor.* De quo Matthæus loquitur, ille fuit ac vocatus est *Ager Figuli*; qvum econtra Ager, quem Jeremias emit, pertinuerit *ad Hanameel* Patruelem Prophetæ, adeoq; ad *Levitam* & *Sacerdotem.* Nam Jeremias, ad quem jus προτιμήσεως ex propinquitate pertinebat *v.* 6. 7. 8. (Conf. *Lev.* XXV. 25. *Ruth.* IV. 3, 4.) fuit de Sacerdotibus Anathoth, *cap.* I. 1. quæ civitas erat Levitis assignata *Ios.* XXI. 15. Hilkia Jeremiæ, & Sallum Hanameelis Pater. *Cap.* I. 1. XXXII. 6. dicuntur fuisse Fratres, adeò, ut hi ambo Consobrini essent. Ad *Exceptionem*, quod Ager, cujus Propheta l. c. meminit, dici potuerit *Ager Figuli*, quia in eo defossum fuerit Vas Figuli cum instrumentis emtionis, quod per metonymiam appelletur *Figulus*, præsertim quia tales opifices vasis à se factis nomina sua inscribere soleant, facilis & non una est responsio. Incertum enim est, quod præsupponitur, vas Fictile cum instrumentis emtionis fuisse in

Resp.

Agro emto defossum: incertum etiam, an eo tempore Figuli nomina sua vasis imprimere fuerint soliti. Sed & tantisper hoc concesso, tamen & rationi & exemplo omni destituitur, ut *Vas fictile* ponatur *pro Figulo*. Et hoc etiam admisso, tamen ad Matthæi Textum non quadraret, qui *Agrum Figuli* nominat, non ob Vas fictile ibi defossum, sed quia *Figuli proprius*, cui ideo etiam pretium pro Agro emto datum fuit. Agrum Levitarum, qualis Hanameelis erat, non licebat vendere, nisi contribulibus, & quidem cum beneficio redemtionis. Ita enim intelligenda est dispositio *Lev.* XXV. 32, 33, 34. Ager autem quem Pontifices emerunt, pertinuit ad hominem alterius tribus, & quia ad sepulturam destinatus, non ampliùs fuit redimibilis. 2. *Situs*, Ager
2. Ieremiæ situs fuit *in Anathoth v. 7, 8*. Iste autē cujus S. Matthæus meminit, propè *Ierusalem*. Conf. *Act. I, 19*. 3. *Pretium*. Evangelista com-
3. memorat, quod Pontifices emerint *ex XXX. Argenteis*, quos Iudas reddiderat, istum figuli Agrum v. 3. 10. Propheta autem refert, se Agrum emisse, & appendisse Patrueli argentum *septem Stateres* (שְׁקָלִים *Siclos.*) & *Decem* הַכָּסֶף Quidam pretium Siclorum ab Argenteis h. l. volunt esse distinctum, adeoq; indicari duplex Monetæ s. ponderis Genus, quod appenderit Ieremias. Sed posterius illud הַכָּסֶף saltem metallum notat, ut intelligatur, fuisse *Siclos Argenteos*. Sic *Gen.* XXIII. 15, 16. *Ex.* XXI. 32. *Lev.* V. 15. &c. Fuerunt enim aliàs *Aurei* I. *Chron.* XXI. 25. II. *Chron.* III. 9. Emtus igitur fuit iste ager *septendecim Siclis*: (*Hieron. T. III. comm. in Ierem.* XXXII. cui *Rabanus*, *à Castro*, *Corn. à Lap.* & ex Nostris *Gerhard. Harm. cap. 168.* p. 1184. consentit) qvum pro eo, cujus Matthæus meminit, *XXX. Argentei* dati fuerint. Siclos eos pendisse alibi diducitur, præsertim à *D. Gerhardo*, *Præceptore olim & Hospite ho-*
4. *noratissimo* d. l. *Harm.* p. 1181. seqq. 4. *Usus*: Ager quem Matthæus commemorat, fuit emptus *in sepulturam Peregrinorum*: Ieremias autem emit pro se, suo & posterorum suorum usu, prout Deus ipsi revelaverat, Hanameelem dicturum, *Eme tibi Agrum meum*. Frustranea est *exceptio*, quod Ieremias cælebs fuerit, & eo tempore captivus, ubi exigua liberationis spes affulgebat, quin etiam civitas obsessa, quam à Chaldæis occupandam prædixerat v. 2, 3, 24. adeoq; Agrum, qui cum regione in hostium pote-

Exceptio, quod Ieremias Cœlebs Agrum pro

potestatem venturus erat, non Ieremiæ, non familiæ, sed potiùs Externis atq; peregrinis emtum fuisse. Hùc trahunt, quod *Thren.* V. 2. conqueritur Propheta: *Hæreditas nostra versa est ad Extraneos, Domus nostræ ad Alienigenas.* Sed quod de cælibatu Ieremiæ præsupponunt, incertum est. Chaldæus & Iudæi, qui locum *cap.* XXXVII. 12. de divisione hæreditatis intelligunt, & uxoris & filiorum ejus meminerunt. Prohibitio *cap.* XVI. de solo loco, ne in Iudeâ tunc duceret uxorem, loquitur, neq; probat, quod antea maritus non fuerit, aut post vastatam Iudæam non duxerit, cessante causâ interdicti. Posito, quod non emerit Agrum pro liberis suis, tamen non sequitur, quod pro sepulturâ Peregrinorum. Habuit enim cognatos atq; Propinquos, cum quibus etiam de dividendâ possessione eum egisse volunt multi, ex dicto *cap.* XXXVII. 12. ubi vulgata vertit, *ut divideret ibi possessionem in conspectu civium.* Certè ex ipso contextu manifestum est, Ieremiam intuitu Peregrinorum potiùs emtionem recusare voluisse v. 24. 25. sed DEI nutu tamen emisse respectu Posterorũ v. 15. ad designandam futurorum Agrorum in Iudæâ culturam. v. 43, 44. Si *ad Culturam*, quomodo *ad Sepulturam*, de quâ Matthæus loquitur?

Peregrinis emerit.

Refutatur.

XV.

XV. Quod Textus sit ex Tribus Prophetis.

Qui *non unum tantùm Prophetæ locum* à Matthæo adductum censent, in varia etiam scinduntur divortia. *Epiphanius,* (qui tamen, quod ego quidem sciam, opinionis suæ asseclam neminem invenit) *Trium* meminit Prophetarum, non indicato tamen eorum nomine, ex quibus verba desumserit Evangelista. Ita enim scribit lib. 1. adv. hæres. n. 39. fol. m. 126. edit. Basil. 1544. Ἀπέδρεψε τὰ ἀργύρια, καθὼς ἦν περὶ αὐτοῦ γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις. καὶ ἀπέδρεψε (Heins. exerc. in N. T. p. 81. ex suo exemplari legit ἀπέρριψα, abjeci) τοὺς τριάκοντα ἀργύρους (rectius ἀργυρείους, quomodo etiam Heinsius allegat,) τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου παρὰ τῶν υἱῶν ἰσραήλ. καὶ πάλιν ἐν ἄλλῳ προφήτῃ, εἰ δίκαιόν ἐστιν ὑμῖν, δότε τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε. καὶ πάλιν ἐν ἄλλῳ προφήτῃ· καὶ ἔδωκαν τὸ ἀργύριον τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, καὶ εἶπε, κάθες αὐτὸ εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ ἴδε εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὡς ἐδοκιμάσθην ὑπὸ τῶν υἱῶν ἰσραήλ. *Aversatus est argenteos, sicut de eo in Prophetis scriptum erat,* & aversatus

est

est triginta argenteos, pretium æstimati à filiis Israël. *Et rursus in alio Prophetâ*, si justum est vobis, date mercedem meam, aut renunciate. *Et rursus in alio Prophetâ*, Et dederunt argentum pretium æstimati, & dixit (*Cornarius & Heinsius in plurali*, Dixerunt) Pone ipsum in fornacem, & vide, an sincerum sit, velut probatum est (*rectiùs*, Probatus *vel* æstimatus sum) à filiis Israël, (prout *Cornarius* transtulit *edit. Basil.* 1560.) Rectus quidem Epiphanius in hoc, quod non unius Prophetæ dictum intendisse Evangelistam statuit: Sed tamen in hoc falsus, quod Aliis subinde Prophetis tribuit, quæ absq; dubio apud Zachariam extant. Ideò etiam reliquorum, ubi ista scripta sint, nomina indicare non potuit.

R℞.

XVI.

XVI. Quod Zach. XI. & Ier. XVIII. vel XXXII. vaticinia allegentur.

Qui *duos Prophetarum locos* à S. Matthæo conjunctos ajunt, *Zachariæ cap. XI.* 12. 13. ipsum respexisse fatentur omnes: Sed *de Ieremiâ dissentiunt*. Nonnulli ad *Cap.* XVIII. alii ad *Cap.* XXXII. se recipiunt. Cùm verò utrumq; istum hùc non qvadrare jam probatum sit, & ex ista cum Zachariæ verbis combinatione haud possit erui major de illis probabilitas, supervacaneum erit, hasce Expositiones denuo sub incudem revocare.

R℞.

XVII.

XVII. Quod Ierem. Cap. XIX. notetur.

Qui aliàs in correctione & interpretatione Scripturæ haud rarò nimiâ utitur libertate, ut temeritatis notam haud effugiat, hìc tamen *Exerc. Sacr. in N. T.* benè advertit *Heinsius*, quod respectus habeatur ad *Ieremiæ Cap.* XIX. & quoad nonnulla collationis documenta haud inconcinna est ipsius explicatio. Sed an ista sufficiat, non immeritò dubitatur. Nam 1. illud in Jeremiâ quæsivit, ut locum saltem inveniret, ubi mentio fieret Agri ob cædes abominabilis vel etiam maledicti, qui propterea *Ager Sangvinis* jure dicatur vel dictus sit. Quin imò ex unico hoc fundamento, quod *cap.* XXXII. 15. de Benedictione, non autem Abominatione, Agri ejus agatur, refutat eos, qui Matthæum autumant oculũ intendisse ad Agrum Anathoth, quem ex præscripto DEI Jeremias ab Hanameele emerit. Sed adscitam *Benedictionem* in Agro, quem ex venditi Sangvinis Christi pretio ad Sepulturam Peregrinorum emtum esse testatur Evangelista, agnoscunt prisci pariter atq; recentiores S. Scripturæ Interpretes. *Hilarius* Can. 32. in Matth. f. 328. *Magnum in hoc Prophetiæ sacramentum*,

R℞.

1. Est Insufficiens.

& in

& in factis & in dictis miraculi plena meditatio. Figuli *opus est, de luto vasa formare, cujus in manu sit, ex luto eodem vas aut ipsum aut pulchrius reformare.* Agrum *autem seculum nuncupari, ipsis Domini nostri verbis continetur, Christi ergo pretio Seculum* emitur, *i.e. universitas ejus acquiritur*; & in sepulturam Peregrinorum *atque inopum deputatur. Nihil hinc pertinet ad Israel, & totus hic seculi emti usus Alienis est, his videlicet, qui in pretio Christi sangvinis sepelientur, quô universa sunt emta. Omnia enim à Patre accepit, quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Et ideo hic* ager Figuli *est, quia DEI omnia sunt, cujus in manu sit, nos ut velit tanquam Figulus reformare. In hoc igitur Agro Christo commortui & consepulti hujus peregrinationis nostræ æternam requiem sortiemur. In cujus rei fidem* Hieremiæ Prophetia *subditur, ut in facti istius opere tanto antè divinæ vocis autoritas ostenderetur.* (Videtur respexisse ad *Ier.* XVIII. *1. seqq.*) Docet igitur, istam emtionem ad sepulturam Peregrinorum ex pretio sangvinis Christi factam esse singulari DEI providentiâ, ad innuendum mysterium Beneficii per Christum ad Homines redundaturi, quod etiam Hieremias propheticè ostenderit. De cæteris allegoriæ membris fatemur, quod non sint ipsi textui præcisè innata, adeoq; per se ad probandum inefficacia. Conf. August *T. IV. lib. 3. de consensu Evang. cap. 7. f. 487. c. T. X. Serm. 114. & 128. de Temp.* Bedam *T. V. comm. in h. l. f. 110.* Hieron. *T. III. comm. in h. l. f. 723. Illi quidem fecerunt aliâ voluntate, ut æternum impietatis suæ relinquerent ex* Agri emptione *monumentum. Cæterum nos, qui* Peregrini *eramus à lege & Prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem, & in* pretio Sangvinis ejus *requiescimus.* Ferus in comm. p. 463. *Providentiâ DEI factum est, ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumtum præbeat, sed peregrinis requiem subministret, ut jam Christus vivos effusione Sangvinis sui redimat, & Mortuos passionis pretio suscipiat. Nec mysterio vacat, quod* Ager Figuli emitur. *Figulus Deus, qui vascula Corporis nostri fecit è limo*: Ager *Hæreditas Domini. Istius itaq; Figuli ager* Sangvine Christi emtus est, *quia* Peregrinis, *qui sine domo, patriâ, exules toto orbe jactabantur, requies & vita æterna Christi sangvine providebatur.* Desumsit hanc sententiam & singula penè verba ex *Aug. Serm. de Cœn. Dom.* qui est *serm. 128. de Temp* quæ etiam *Thomas Aq. in Continuo super 4. Evang. f. 107.* retinet. Idem in hâc emtione mysterium agnoscit *Aretius in comm.* quod pluri-

E bus

bus exaggeravit *Gerhard. Harm. de Paſſ. cap. 8. p. 358. ſeq.* Conf. *Bald. comm. in Zach. 11. p. 743.* Inquirendum ergo, an non etiam ex Jeremiâ citato poſſit *iſtius loci per Chriſtum ſanctificatio* oſtendi. Cum igitur *Cap.* XIX. meram contaminationem & abominationem ejus indicari fateatur Heinſius, de aliâ inſuper ejuſdem Prophetiâ inveniendâ erimus ſoliciti. 2. Videtur ipſe non *vaticinium* aut *typum* propriè dictum à Spiritu S. & Prophetâ intentum in emtione Agri impletum ſtatuere, ſed concinnam *verborum Ieremiæ ad hæc geſta applicationem.* Splendida quidem ſunt verba pag. 79. *Quis non ſingularem* DEI *providentiam ac Diſpoſitionem admiretur? De Agro figuli cum Ieremias loquitur, futurum dixit, ut derelictus ac deſertus eſſet, utq; ab ipſo ſangvine ac cæde nomen aliquando haberet. Quod præclarè impletum, partim cum in ſepulturam mortuorum ceſſit, partim ac præcipuè, cum ſangvinis, & quidem innocentis, pretio redemptus eſt.* Pag. 80. *Nihil Ieremiæ Prophetiâ clarius illuſtriusq;.* Quid autem hoc rei eſt, quod eâdem pag. ait. *Non tàm adducit locos, (ut ſæpè) Matthæus, quàm accommodat.* Pag. 81. *Verba*(Zachariæ) *ſic Evangeliſta expreſſit, ut alludat ea ſimul & interpretetur.* Pag. 82. totam exegeſin concludit: *Mihi certè admiranda tàm eorum, quæ de Agro, quàm quæ de Pretio dicuntur, applicatio Evangeliſtæ videtur.* Poſſent, fateor, hæc ad commodum trahi ſenſum, ſi non alibi mentem ſuam teſtatam reddidiſſet, quomodo nonnunquam Veteris Teſtamenti loca in Novo accommodata & applicata ſtatueret. Exerc. in Matth. II. 15. *Evangeliſta eleganter & urbanè loco Prophetæ utitur, quem ſic rectè poſſe applicari ait; Quaſi dicat, ac tùm illud rectè dici potuit, quod ab Oſeâ de Iſraele uſurpatur,* Ex Ægypto filium meum vocavi: *quomodo non rarò* τὸ ἐπληρώθη *uſurpatur.* Ibid. pag. 14. de citato dicto *Ierem.* XXXI. 15. *Vrbana manet ac ſuavis applicatio, &c. cum nec perſonæ, de quibus loquitur, eædem ſint, nec locus, nec deniq; calamitas.* Et poſtea: *Cum locus applicatur, tota elegantia in eo, ut ſimilia ſint verba,* aut *ut rectè rei, de quâ agitur, conveniat, & tum ſæpè gratiora, ſi de diverſâ agatur.* In Rom. X. 6, 7. pag. 339. *Novi fœderis Scriptores verba Veteris & eleganter & venuſtè non ſemel aliò transferre.* Exemplis hoc probare ibidem conatur. In I. *Corinth.* XV. 27. pag. 378. ſcribit de Apoſtolorum in citandis Scripturæ S. locis libertate: *Mutuantur, quæ alibi dicuntur: cum non ubiq; de unâ eademq; re eadem ab illis uſurpentur.*

2. Saltem concedit Verborum applicationem.

Simi-

Similia etiam alibi inculcat. Sed non sine magno veritatis & reverentiæ erga Scripturam præjudicio. Ducem hâc in parte secutus est Sympatriotam suum, sed Pontificiæ religionis propugnatorem, *Cornelium Iansenium*, qui in Concord. Evang. cap. 11. audet scribere: *Multa loca afferuntur ab Evangelistis per applicationem quandam, non autem quod Prophetæ id significare voluerint ad quod ab Evangelistis afferuntur. Vt cum dicitur*; Ut impleretur, quod dictum est, ex Ægypto vocavi filium meum, *sicut si quis de Patre nimis filium amante diceret: Videres illum in desiderio filij sui omnia contemnere, ut impleretur in eo illud Maronis*, Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. Talem applicationem statuit etiam in *Matth.* II. 15. *cap.* XIII, 35. *cap.* XV, 7, 8. Conferantur Heinsii in hæc loca (ad ultimum nihil habet) notæ, quæ ipsius cum Iansenio consensum testantur. (Utriusq; vestigia etiam premit Alex. Morus Annot. ad *Matth.* II, 15. 17, 23.) Sed ne Papistæ quidem, aliàs autoritati Scripturæ plurimum suis assertionibus detrahentes, æquo animo tulerunt hanc Jansenii sententiam. Quod ergo eidem *Ribera in Hose. XI. num.* 13. opposuit, hoc, nomine saltem mutato, etiam contra Heinsium pugnat: *Hâc in re Vir eruditissimus toto cœlo errat, & homo cumprimis pius dicit id, quod pietas fidei nullo modo, ut mihi quidem videtur, dici sinat. Nam cùm Scriptura ipsa docet, Prophetam de re illa locutum esse, quam Evangelistæ commemorant, quis audeat dicere, minimè eam significare voluisse, & perinde esse, ac si versus Virgilij ad illud afferretur? Dominus ait*, Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias: *Vtrum ego* CHRISTO *credam, an Iansenio, qui ait, non prophetâsse? Planè enim ait non prophetâsse de illis, si id non prævidit, ac significare voluit, &c. cum autem dicitur*, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, *etsi paulò obscuriùs, tamen idem est, ac si diceretur*, quod prophetatum est. *Nam propriè Verbum meum non impletur, nisi cùm illud fit, quod ego futurum prædixi. Audax ergo & periculosa est Iansenij opinatio, & quantum ad hunc locum attinet, universis Patribus adversatur universisq; Expositoribus.* Eundem etiam *Tannerus* T. I. *Theol. Schol. Disput.* 1. *q.* 5. *dub.* 6. *n.* 4. *&* 5. in istâ assertione refutandum censuit. *A. Rivetus*, natione quidem ab Heinsio diversus, quippe Picto Gallus, ejusdem verò Religionis & in Professione Leidensi Collega, *Isag. ad Script. S. cap.* 16. *n.* 1. docet, quod iste accommodatitius, quem vocant, Scripturæ sensus, non possit propriè ita dici.

Postea ostendit, quomodo dextrè verba Scripturæ accommodari possint, servatâ semper analogiâ & generali scopo. *Quomodo*, inquit Num. 6. *non dubitamus, Apostolos & Evangelistas aliquando verba ex V. T. accommodasse ad Eventus & Personas sub Novo: Etsi plerumq; citationes, quæ habentur in eorum scriptis, sensum vel immediatum vel mediatum librorum Propheticorum exprimant, sive sit ille literalis, sive Mysticus aut Typicus.* Plerunq; *dico, quia aliquando etiam alludunt ad dicta Prophetarum ita, ut tamen allusio non solùm verba respiciat, sed Analogiam.* Declarat hoc Exemplo *Matth.* XIII. 14. ubi, quæ de populo tum existente *Esa.* VI. 10. dicta sunt, applicet Christus ad homines sui temporis; quia consimile sit Exemplum, adeoq; analogia per eandem ætiologiam. (Pertinet hic modus citationis ad Doctrinam Generalem, quæ rectè dicitur toties impleri, quoties & in quibuscunq; hujusmodi fit; sicut *paulò pòst* in Hypothesibus ad ultimam sententiam facientibus docebitur) Istam autem Scripturæ inflexionem, sensûs & Analogiæ ratione posthabitâ, (quam *Heinsius Exercitat. in Matth.* II. 15. p. 13. & 14. sub appellatione *Parodiæ* laudat, ac *Scultet. lib. 2. Exerc. Evang. cap.* 10. p. 38, 39. suo calculo approbat) vitiosissimum docendi genus *Num. 3.* nominat ex Hieronymo. Ex Nostris contra vitiosam Accommodationem prolixè egit *Hackspan. in Sylloge* p. 417. ad 461.

XVIII. Quod citatio ad textũ Zach. XI. Ier. XIX. & XXXI. directa sit.

Superest, ut dicatur, Matthæum omninò *prophetiam tùm Zachariæ tùm Ieremiæ simul* allegâsse, ita ut *apud Zachariam*, cujus plura verba citavit, *de Pretio*, apud *Ieremiam* verò, quem nominavit, prophetia quærenda sit *de Agri, qui emtus est*, conditione, quoad Situm, Nomen, & Profanationem *Cap.* XIX. sed quoad subsecutam ejus Sanctificationem temporibus Messiæ *cap.* XXXI. Hæc interpretatio, præmissis quibusdam Hypothesibus, declarata & probata nunc dabitur.

Cap. III. Hypotheses Exegeticæ.

CAP. III.

Hypotheses quædam Exegeticæ, tùm ad alia ex V. T. in Novo citata Scripturæ loca explicanda, tùm potissimum ad præsentem locum controversum apprimè utiles.

Hypo-

Hypothesis Prima.

Prima: Interdum Testimonia V. T. in Novo combinantur, ac si unum essent.

Aliquando in N. T. duo vel plura V. T. testimonia ita combinantur, ac si unum essent.

Matth. XXI. 4. Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, & sedens super asinum & pullum filium subjugalis. Procœmium, *Dicite filiæ Sion*, desumtum est ex *Esa* LXII.11. Summa verò Nuncii ex *Zach.* IX,9. Ibid. *vers.* 13. Scriptum est, Domus mea. Domus Orationis vocabitur: Vos autem illam fecistis speluncam latronum. Priora verba *Esa.* LVI. 7. Posteriora *Ierem.* VII. 11. reperiuntur. *Marc.* I. 1,2. Scriptum in Prophetis, sc. *Mal.* III. 1. *Esa.* XL. 8. Ita *Luc.* III.4,5,6. ex *Esa.* XL. 3,4. & LII.10. *Luc.* X,27. est combinatio dictorum ex *Deuter.* VI. 5. & *Lev.* XIX. 18. *Ioh.* XII,14.15. Invenit Jesus asellum & sedit super eum, sicut est scriptum: Noli timere Filia Sion: Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Prohibitio, *Noli timere filia Sion*, *Esa.* XL.9. *Zephan.* III.16. Annunciatio autem *Zach.* IX.9. extat. *Rom.* III., 10. seqq. est testimonium ex *Psalm.* XIV.23. LIII.3,4. V, 10. CXL.4. X,7. *Prov.* I. 16. *Esa.* LIX.7. contextum. Ibid. *Cap.* IX.33. Scriptum est, Ecce ego pono in Sion lapidem (ex *Esa.* XXVII.16.) offensionis & petram scandali, (ex *Esa.* VIII.14.) & omnis, qui credit in eum, nō confundetur, (ex versione Græcâ *Es.* XXVIII.16. ὁ πιςεύων ἐπ' ἀυτῷ, ὀ μὴ καταισχυνθῇ. Quod enim ista versio tunc communissima, ubi non nimis à fontibus discrepat, in N. T. fuerit allegata, alibi diducitur) I. *Corinth.* XV. 54, 55. Tum fiet sermo ille scriptus: Absorpta est Mors in Victoriâ. Ubi est, Mors, stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria? Prior sermo *Esa.* XXV,8. reperitur: Posterior in LXX virali. *Ose.* XIII,14. saltem pro δίκη ponit νῖκος. II. *Cor.* VI, 16,17,18. Dicit DEUS, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum DEUS, & ipsi erunt mihi populus (Ex *Lev.* XXVI.11, 12. & *Ezech.* XXXVII. 27.) Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit DOMINUS, & immundum ne tetigeritis, (*Esa.* LII,11.) Et ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotens. (Sensus habetur *Esa.* XLIII. 6, 7. *Ierem.* XXXI. 1, 9. & aliis in locis.)

I. Petr. II.6,7. Continetur in Scripturâ; Ecce, pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. (*Esa.* XXVIII.16. vide supra *Rom.* IX. 33.) Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, (ex *Psalm.* CXVIII. 22.) & Lapis Offensionis, & petra scandali, (ex *Esa.* VIII, 14.) Etiam in ipso sermone de Juda proditore, & Agro, pro mercede proditionis emto loquens Petrus, duo combinat Scripturæ loca *Act.* I, 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit habitans in eâ, (*Psalm.* LXIX, 26.) & Episcopatum ejus accipiat alter. (*Psalm.* CIX, 8.) Nil ergo novi, quod etiam S. Matthæus de istâ proditionis Mercede & Agro ex eâ emto agens ad duorum Prophetarum oracula nos remittit, & quidem ad *Ieremiam* per citatum Nomen, ad *Zachariam* per citata Prophetiæ ejus verba.

Hypothesis Secunda.

Secunda. Testimonia V. T. conjuncta aliquando Unus saltem allegatur Autor. Marc. I, 2.3

Non caret Exemplo, quod duobus aut pluribus testimoniis in unum conjunctis unus tantùm Propheta vel Nomen ejus allegatur.

Marc. I. 2,3. Sctiptum est in Esaiâ Prophetâ: (ita Vulgatus, Latinus, Syrus & Arabs, legunt) Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Nominatur solus *Esaias*, etsi priora verba ex *Mal.* III. 1. posteriora tantùm ex *Esa.* XL. 3. adducta sint. Verum quidem est, quod Græci Codices communiter legunt, ἐν τοῖς προφήταις: Sed tamen Beza Annot. Maj. f. 133. indicat, quod duo vetusti Codices, quos habuit, quin & vetustissimus iste, cui præ omnibus plurimùm tribuit, cum istis versionibus conveniant in istâ citatione, ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Autor sub nomine *Chrysostomi Hom. I. in Marc.* utut supposititius, Græcus tamen, istam lectionem ut genuinam adducit, atq; contra Prophyrium, itidem Græcum, qui lib. 14. ex hoc etiam loco probare conatus est Evangelistarum ignorantiam, quâ inducti alteri Prophetæ adscriberent,

quod apud alium legitur, defendit; quod haud obscurum est indicium, multos tunc Codices Græcos ita legisse. Ututnon contendamus, receptam lectionem immutandam esse: tamen ad præsens institutum nobis sufficit, adversus inculpationem de falsâ allegatione Patres eâ ipsâ responsione usos esse, quod in duorum locorum combinatione unius tantùm Scriptoris fiat mentio. *Thom. Aqv. super IV. Evang. fol.* 116. provocat ad Chrysostomum: *Dicetur, quod duas prophetias in diversis locis dictas à duobus Prophetis in unum congregans posuit.* In Isaiâ *enim Prophetâ post Ezechiæ describitur historiam: Vox clamantis in deserto.* In Malachia *verò: Ecce mitto Angelum meum. Secundus igitur Evangelista duas prophetias posuit, ut ab Isaiâ dictas, & ad unam lectionem referens, tacens verò à quo dicatur, Ecce mitto Angelum meum.* It: August. de quæst. Evang. *Sciens, omnia ad auctorem referenda, dicta hæc ad Isaiam revocavit, qui sensum istum prior intimaverat. Deniq; pòst verba Malachiæ statim subjecit, dicens, Vox clamantis in deserto, ut jungeret verba utriusq; Prophetæ ad unum sensum pertinentia sub prioris Prophetæ personâ.* Conf. *Hieron. Epist.* 101. *ad Pammachium*, quæ est de optimo genere interpretandi. f. 997.

Matth. XXI. 5. Testimonium ex duorum Prophetarum dictis compositum esse, sc. ex *Esa.* LXII. 11. & *Zach.* IX. 9. suprà indicatum est. Et tamen unius tantùm Prophetæ meminit Evangelista, scribens *v.* 4. *Hoc totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem &c.* Rationem hujus Numeri singularis *Lud. de Dieu in Marc.* I. 2. censet eam, quod priora verba ex Esaiâ tantùm emphaseos (vel exordii) causâ addantur, adeoque ipsum vaticinium, quod solius Zachariæ est: uni Prophetæ adscribi. Alii putant, hoc factum esse, ut uno eodemq; Spiritu omnes Prophetas locutos fuisse ostenderet. Possent conferri loca, ubi inversâ Phrasi in Plurali fit mentio Prophetarum, utut unius saltem allegetur testimonium; ut indicetur, unius esse, quod plurium, & vicissim plurium, quod unius, ob unitatem Spiritus S. per omnes Prophetas loquentis. Talia loca sunt *Actor.* VII. 42. ex *Amos* V, 25. *Cap.* XIII, 41. ex *Hab.* I, 5. (Sunt tamen, qui illud, *ô contemptores*, ex *Esa.* XXVIII, 14. depromptum statuunt.) *Cap.* XV, 14. ex *Amos* IX, 11. Rectè quidem dici potest, Pluralem istum Numerum usurpari ob vaticinia *Mat. XXI, 5.*

cinia XII. Prophetarum Minorum, ex quibus iſta citata loca deſumta ſunt, in unum Volumen congeſta. (Vide, quæ *in conſideratione Octavæ ſententiæ Num.* 3. dicta ſunt.) Cùm verò & Joel & Oſeas, qui Minoribus iſtis accenſentur Prophetis, nominatim citati inveniantur *Act.* II, 16. *Rom.* IX. 25. quin etiam non ſine emphaſi *Act.* XV. 14. appelletur ſermo Prophetarum, quem ſolus tamen Amos ſcripto conſignavit, non tantùm compactio libri ejus cum libris aliorum, ſed inſuper quoq; conſenſus cum reliquis Prophetis, qui, aliis licet verbis, eodem tamen ſenſu, prædicaverunt, innui exiſtimatur. Quod faciliùs talis data ratio de unitate Spir. S. in omnibus Prophetis hîc admitti poſſit, ubi unum Nomen reticetur, quàm ubi aliud ponitur, in *conſid. Expoſ.* X. dictum eſt. Quicquid autem ſit de Ratione, tamen ſufficit oſtendiſſe, quod duobus teſtimoniis combinatis ſaltem unus Scriptor citetur. *Rom.* IX. 27. ſolus nominatur *Eſaias*, cujus præcipua ſunt verba ex *Cap.* X. 22. allegata, & tamen ex *Oſe.* I. 10. deſumta eſt Phraſis, *Erit numerus filiorum Iſrael, ut arena maris*, qvum apud Eſaiam legatur: Si fuerit populus tuus Iſrael. &c.

Ex hâc igitur Hypotheſi conſit, nullum eſſe ſtatuendum mendum nominis Jeremiæ, cùm verba plurima ſubjuncta apud eum non reperiantur, vel apud hunc ſolum omnia ab Evangeliſtâ allegata neceſſariò quærenda eſſe, qvum ſolus, ut eſt communis opinio, citetur. Inſuper tamen *Hypotheſi ſequenti* probabitur, reverà apud S. Matthæum duos citari Prophetas, unum quidem Nomine Proprio, alterum à ſolo officio & tenore vaticinii deſcriptum.

Hypotheſis Tertia.

Tertia: Citatur Propheta diverſimodè.

Citatur Canonicus V. T. Scriptor in Novo, quando ad ejus vaticinia ſcriptis conſignata provocatur, vel *ſub ſolius Nominis Proprij,* vel *ſub ſolius Officij Prophetici,* vel *ſub utriusq; mentione,* vel *tantùm Generaliter & Vagè.*

1. ſub Nomine Proprio.

Prioris citationis Exempla ſunt *Matth.* XIII. 14. *cap.* XV. 7. *Marc.* VII. 6. *Ioh.* XII. 39, 41. *Rom.* IX. 25, 27, 29. *cap* X. 16, 20. *cap.* XV. 13. item, quandocunq; aliquid ex Moſe adducitur.

Alterius habentur *Matth.* I. 22. *Cap.* II. 5, 15. *Cap.* XXI. 4. *Cap.* XXVII. 35. *Act.* VII. 48. *Cap.* VIII. 34. Hic modus non nisi tunc usurpatur, quando simul verba Prophetiæ adducta sunt, ut ex iisdem cognosci possit, quisnam Prophetarum intelligatur. Alia est ratio, quando in plurali mentio fit Prophetarum : Siquidem tunc plerunq; communis omnium doctrina indicatur.

2. Sub Nomine Officij.

De Tertio citationis modo Exempla leguntur *Matth.* II, 17. *cap.* III, 3. *cap.* IV, 14. *cap.* VIII, 17. *cap.* XII, 17. *cap.* XXIV, 15. *Marc.* XIII, 14. *Luc.* II, 17. *Ioh.* I, 23. *cap.* XII. 38. *Act.* II. 16. *cap.* VIII. 28, 30. *cap.* XXVIII. 25.

3. sub Nomine Proprio & Officij simul.

Quartæ citationis Exempla inveniuntur *Eph.* V, 14. *Ebr.* II, 6. *cap.* X, 30. *Rom.* XV, 10.

Quicunq; Interpretes in loco Matthæi unum duntaxat Prophetam allegatum censent, ad Tertiam utiq; speciem citationis referunt, ita ut exprimatur nomen Scriptoris Proprium, Jeremiæ, & Officii, Prophetæ dicentis. Sed qvum duorum Scriptorum vaticinia h. l. Evangelista simul respexerit, probabiliùs est, quod etiam citaverit utrumq; : *Vnum* scilicet, cujus non verba adducit, sed ad prolixum ejus textum inquirendum remittit, *sub Nomine Proprio Ieremiæ*; *Alterum* vero duntaxat *sub Nomine Officij*, s. mentione *Prophetæ dicentis* ea, quæ subjungit, ut ita ex reperto, quem citat textu, etiam Nomen ejus Proprium innotescere possit. Ita nim. unus Primo, alter Secundo citationis modo allegatur. Viam quasi monstravit ad hanc explicationem sagacissimus *Augustinus*, qui T. II. *lib. 3. de consensu Evang. cap.* 7 f. 487. post sententiam, quam *cap. præced. Num. 8.* expendimus, addit : *Est & alia causa, cur hoc Nomen Hieremiæ in testimonio Zachariæ sit manere permissum, vel potiùs S. Spiritûs autoritate præceptum sit. Est apud* Hieremiam, *quod emerit Agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretij, quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis, veruntamen Agri emtio non est apud Zachariam. Quod autem prophetiam de triginta Argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quod modò de Domino completum est, manifestum est. Sed ad hoc pertinere etiam illud de Agro emto, quod Hieremias dicit, hinc poterit mysticè significari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dicit de* Triginta Argenteis, *sed Hieremiæ, qui dicit* de Agro emto : *ut lecto Evangelio atq; invento nomine Hieremiæ, lecto autem Hieremia & non*

Probabile est, quod S. Matth. unū sub nomine Proprio, alterum sub nomine Officij citaverit

invento testimonio de Triginta argenteis, *invento tamen Agro emto, admoneatur Lector, utrumq́; conferre, & inde sensum enodare Prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc, quod in Domino impletum est.* Utut speciatim de textu Jeremiæ, quem indigitaverit S. Matthæus, ob rationes superiùs ad *Sent.* XIV. allatas, discrepantia sit, tamen non possum non ipsi in præcipuis assentiri, sc. 1. quod nomen Hieremiæ non sit irreptitium, sed Scriptus S. jussu positum. 2. quod duo membra ex Prophetis confirmata voluerit Evangelista, sc. de Triginta Argenteis, & de Agro. 3. quod membrum prius apud Zachariam, posterius apud Jeremiam quærendum sit. 4. quod lectum nomen Hieremiæ ad Prophetiæ inquisitionem *de agro*, & non inventum in eo testimonium, quod adducitur, *de Triginta Argenteis* ad Zachariam remittat sicq́; doceat, utrumq́; conferre. Cùm ergo ex his pateat scopum Evangelistæ fuisse, lectorem & ad Hieremiam & ad Zachariam remittere, utiq́; admittenda est ista interpretatio, quæ ex superiùs traditâ & consvetâ diversâ ratione citandi, sine ullâ verborum ejus textus perversione, ostendit, quod utrumq́; etiam citaverit, *Ieremiam* quidem expresse per *Nomen Proprium*, *Zachariam* vero juxta alterum modum *sub Nomine Prophetæ*, *dicentis* ea, quæ subjunxit.

Objectio. Nec est, quod obvertatur, in textu absq; ullâ distinctionis notâ legi, τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ιερεμίου τοῦ Προφήτου, λέγοντος, &c. adeoq; intelligi Jeremiam, qui (juxta Tertii ci-
Diluitur. tationis modi adducta exempla) & Propheta nominetur, & ea,
1. quæ seqvuntur, dixerit. Nam 1. inverto potiùs: Quia Jeremias non dixit ea, quæ immediatè recensentur post mentionem τοῦ προφήτου, λέγοντος, ergo non is ipse, sed alius à Jeremiâ per hanc citationem intelligendus est Propheta, scil. Zacharias,
2. cujus ea sunt, quæ dixisse commemoratur. 2. Non inusitata est in S. Scripturâ ellipsis Copulativæ, *Et.* De omisso Ebræo ו *Vau* exempla adduxit *Glass Gramm. sacr. lib. 4. tract. 1. observ. 7.* p. m. 647. seqq. Talia etiam ex N. T. possunt afferri *de particulâ* καὶ Joh. X, 16. *Fiet* μία ποίμνη, εἷς ποιμὴν, ubi rectè inseruerunt ad sensum Vulgatus, Beza, Lutherus, Antiquior & Recentior Belgicus Translator & alii Copulam, *Fiet unum Ovile. & unus Pastor.* II. Cor. VII. 14. Ὅτι εἴτι αὐτῷ ὑπὲρ ὑμῶν κεκαύχημαι. Vulg. & Beza cum expressâ copulâ subauditâ, *Et* si quid apud illum (Et si quid

si quid apud eum) de vobis gloriatus sum, &c. Cap. VIII. 23. Ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν δόξα Χριστοῦ. Beza: Legati Ecclesiarum & gloria Christi. Sic Recentior Belgica, Afgesandten der Gemeynten (ende) een Eere Christi. Lutherus: Apostel der Gemeinen und eine Ehre Christi. Antiquior Belgica: Apostelen der Gemeynten (ende de) Eere Christi. Et hanc disjunctionem Chrysost. hom. 18. in 2. ad Corinth. f. 809. simul observat *Coloss.* II. 14. ἐξαλείψας τὸ καθ᾽ ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. Ut cum verbo συνεζωοποίησε participia χαρισάμενος (versu præced.) & ἐξαλείψας construantur, subaudienda vel supplenda est copula, καὶ ἐξαλείψας, quam Beza & Lutherus in versione, Chrysostomus & alii in explicatione monstrârunt I. *Tim.* IV, 3. Prohibentes nubere, jubentes abstinere à cibis, absq; copulâ expressâ conjunguntur; quam tamen subintellectam benè in Versionibus expresserunt Lutherus, Antiquior Belgica, & Beza in Annotationib⁹. Admissâ igitur in hoc Matthæi controverso loco tali *Ellipsi particulæ* καὶ, quam verba subjuncti testimonii exigunt, manifesta erit utriusq; Scriptoris allegatio: *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam & Prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, &c.* Conf Heins. Annot. p. m. 80. 81. 3. Si quis forsan ex metu, 3.
ne quid Scripturæ S. adderet, futurus esset difficilis in concedendâ hìc ellipsi particulæ copulativæ, non tamen negare poterit, sæpius ἀπὸ κοινοῦ ex antecedentibus repetendas esse quasdam voces, ut sequentium sensus sit plenus atq; concinnus: Videatur *Glass. Gramm. sacr. d. l.* p. m. 665. seqq. & ib. in Episagm. p 855. seqq. Si igitur ex antecedenti repetatur *vel* sola particula διὰ, *vel* τὸ ῥηθὲν, *vel* simul τὸ ῥηθὲν διὰ, &c. apparebit citatio utriusq; Prophetæ, *Primo modo* τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου, διὰ τοῦ Προφήτου λέγοντος, &c. Exempla repetendæ hujus præpositionis διὰ ex antecedentibus videantur *Matth.* XIV, 9. *Marc.* V, 5. *Altero* modo: τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου, τὸ ῥηθὲν τοῦ προφήτου λέγοντος, &c. Quamvis enim ista constructio immediata vocabuli ῥηθὲν cum Genitivo apud Scriptores N. T. non invenitur, tamen ῥῆμα Nomen ita usurpatur *Matth*, XXVI, 75. *Luc* I, 38. *cap.* III. 2. *cap.* IV, 4. *Eph.* VI, 17. *Commodiùs* reperitur simul τὸ ῥηθὲν & διὰ, &c.

h. m. *Tunc impletum est* τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου, τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ Προφήτου, λέγοντος, &c.

Hypothesis Quarta.

Quarta: Multa, quæ ad V. T. duntaxat pertinere videntur, etiam N. T. tempora spectant.

Multa sunt in Scripturis V. T. quæ in se considerata solùm Historias aut Vaticinia ante Christi adventum impleta continere videntur, & tamen luce Scripturæ N. T. collustrata Typos ac Figuras eorum, quæ post Christum exhibitum futura erant, indicasse deprehenduntur. Conf. *Glass Philol sacr. lib. 2. tract. 2. p. m. 201. Corn. à Lap.* (qui tamen cum discretionis judicio legendus) *Appar. comm. in Proph. Maj. Can 4. & 5. f. 21. seq.*

Exemplo sit Historia de Abrahamo & Filiis duobus, uno ex Ancillâ, altero ex Liberâ prognatis *Gen.* XVI. & XXI. Hujus allegorica Interpretatio monstratur *Gal.* IV, 21 seqq. *Ier.* XXXI, 15. videtur loqui de futuro luctu super captivitate Judæorum; Et tamen *Matth.* II, 18. illud vaticinium in Bethlehemitico infanticidio completum esse docetur. Verba *Lev.* XXVI, 12. Ambulabo in medio vestri, & ero vobis in DEUM &c. videntur de solis Judæis dicta, ob erectum inter eos tabernaculum habitationis DEI. Et tamen II *Cor.* VI, 16. etiam ad conversos ex Gentilismo pertinere ostenditur. Sic & alibi Huc referendum erit *Cap* XIX *Ieremiæ*, in quo & Actionem & Concionem Propheticam duntaxat instantem urbis devastationem concernere existimari posset; qvum tamen ex citatione Jeremiæ apud Matthæum de Agro Sangvinis manuducamur etiam ad typicam istius Actionis & Prophetiæ considerationem.

Hypothesis Quinta.

Quinta: Interdum Prophetæ diversas Personas gesserunt.

Interdum in Visionibus vel Actionibus, per quas Deus nonnulla qs in Dramate repræsentavit, Prophetæ diversas Personas sustinuisse animadvertuntur.

Ezechiel.

Sic *Ezechiel* in Visione tùm *Videntis* Cap. I. tùm *Prædicantis*, Cap.

Cap. I. II. III. tùm *Exercitus obſidentis*. Cap. IV. tùm DEI *punientis* Cap. V. actiones ex divino inſtinctu repræſentavit. Cap. XII. idem Propheta & *fugientis Regis*, v. 1. 14. & *trepidantis populi* v. 17, 18, 19. & *vaticinantis videntis* v. 22. ſeqq. perſonam egit. Cap. XXXVII. 16. ſeqq. ſuo facto ob oculos ſtatuit DEI ex diverſis populis Eccleſiam collecturi opus. Hôc ſenſu etiam non abſurdè poſſet *Amos* IX, 1. Prophetæ tribui iſta in Viſione mandata percusſio ſuper liminaris Templi, (Neq; enim alterius ejuſdem ibi ſit mentio, cui DEUS hanc percusſionem mandaverit,) ad innuendam DEI ſuper homines idololatricos pœnam imminentem. Sic *Zacharias* cap. VI. 9. ſeqq. juſſus eſt Aurum & Argentum accipere ad conficiendas Coronas, quas Joſuæ imponeret, ad repræſentandum, quâ gloriâ DEUS Mesſiam, Joſuæ Pontificis antitypum, ornaturus eſſet. Proderit hæc obſervatio ad faciliùs intelligendam Prophetiam *Zach* XI, 4. ſeqq. Cùm enim doctisſimi Interpretes in textu animadverterint, quod is, qui loquens introducitur, nō tantum gregem paviſſe, ſed Pœnam quoque intuliſſe *v.* 8. Fœdus ſuum, quod cum Judæis pepigerat, ſuſtuliſſe, *v.* 10. & pro 30 argenteis venditus eſſe *v.* 12. 13. dicatur, quæ omnia in Prophetæ perſonam non quadrent, ideò ipſum CHRISTUM iſta omnia loquentem introduxerunt: Quamvis poſtea non uno modo ſe fatigent in explicatione, quomodo projectio 30. Argenteorum in Templum *v.* 13. ibi loquenti Chriſto tribuatur, quam à proditore Judâ factam in propatulo eſt. Præ cæteris obtinuit explicatio per regulam Ebraiſmi, quo aliquid dicitur factum ab eo, qui factum vel futurum denunciat, *Lev.* XIII, 3. *Joh.* IX, 31. *Eſa.* VI, 10. *Jerem.* I, 10. Sic quoq; Zachariam inquiunt projeciſſe argenteos, quia eoſdem projiciendos denunciaverit. Uti ipſorum & laborem & doctrinam meritò veneror, ita tamen ſimul expendendum relinquo, an non ex textu *v.* 15. concludendum ſit, etiam in Priori parte Prophetam ibi ſcripta tùm verbis tùm factis in divinâ viſione repræſentâſſe. Ita enim iſtis præcedentibus cohærent ſequentia: *Et dixit Dominus ad me, Adhuc ſume tibi vas Paſtoris ſtulti.* Idem fermè eſt Exordium, quod ſupra *v.* 4. Et quid iſtud verbum, *Adhuc* vel Ampliùs, niſi quod eôdem Prophetâ etiam in antea deſcriptis uſus ſit DEUS ad verba & facta exprimenda, de Paſtoris Boni ad avertendam ex malorum

Amos.

Zacharias.

etiam Cap. XI.

lorum Pastorum culpâ imminentem pœnam necessario officio, v.4.5.6. sedulo beneficio v.7. sed repenso maleficio, tùm per inobedientiam v.8.9.10.11. tùm per vilipendium & extremam ingratitudinem, v.12.13. Cùm igitur antea personam Boni ac Prudentis Pastoris, & quæ circa ipsum evenerunt, repræsentavit, etiam ad Malorum Pastorum ὑποτύπωσιν eodem uti voluit, ut sumeret Vas Pastoris stulti, forsan Peram, Baculum, fistulam, habitum ita comparatum, ut exinde facilè colligi posset, quod talis, qui pro Pastore se venditaret, stolidus ac ineptus esset; ad deducendos qs. in proscenium falsos Populi DEI Doctores, quorum & culpa v.16. & Pœna v.17. subjungitur. Ex hâc collatione manifestum arbitror, nihil derogare autoritati Prophetæ, si, ut hîc malorum Doctorum, ita v.13. Judæ proditoris actionem repræsentâsse dicatur. Quin & Christi Majestati non derogatur, quod ejus actiones etiam in puniendo ac tollendo fœdere, aut passionem contemptus repræsentavit, in visione saltem ac ministerialiter. Conferatur Exemplum *Hoseæ*, qui simul & Populi spiritualiter scortantis malitiam, ac promeritam hinc pœnam, & DEI etiam atrociter ita peccantem ad pœnitentiam tamen atq; gratiam invitantis clementiam suis actionibus, & quidem DEI jussu, absq, ullo vel immunditiæ vel Præsumtionis delicto comicè qs. ob oculos statuit, *Cap.* I. 2. 4. 6. 9. *Cap.* III. 1. 2. 3.

Hypothesis Sexta.

Sexta. In citatione ex V. T. potiùs Sensus, quā Ordo & Verba observantur.

Perspicuum est, Apostolos & Evangelistas in Interpretatione Veterum Scripturarum Sensum quæsiisse, non Verba, nec magnoperè de Ordine Sermonibusq; curâsse, dum intellectui res pateret.

Sunt Verba *Hieronymi.* T.I. *Epist.* 101. *ad Pammachium f.* 997. ubi hanc assertionem plurimis Exemplis probavit, inter quæ etiam controversus hic Matthæi locus. *Accusant*, inquit, *Apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico, nec cum Septuaginta congruat Translatoribus, & quod his majus est, erret in nomine: Pro* Zachariâ *quippe* Jeremiam *posuit. Sed absit hoc Pedissequo Christi dicere, cui curæ fuit,*

non Verba & Syllabas aucupari, sed Sententias dogmatum ponere, f. 995. *Epist. 151.* seu ult. quæ est *ad Algasiam, quæst. 2. f. 1244.* cum additamento istam Observationem proponit: *Vbicunq; de Veteri Instrumento Evangelistæ & Apostoli testimonia protulerunt, diligentiùs observandum est, non eos Verba secutos esse, sed sensum, & ubi LXX. ab Hebræo discrepant, Hebræum sensum suis expresisse sermonibus.* Quod autem aliquando, etiam cùm LXX. ad amussim consonant Ebræo, tamen non ipsos secuti sint, sed aliis verbis, quæ liberrima DEI inspiratio ipsis suggessit, Propheticum sensum expresserint, & fusè & nervosè probavit *CL. Theologus D. Calov. Comm. in Aug. Conf. T. I. Tract. 2. membr. 8. p. 771. seqq.* Videatur egregius liber Parallelorum sacrorum *Franc. Iunij*, ubi scriptionis dictorum in Veteri & citationis eorum in Novo summam in Verbis convenientiam, in Rebus consensum, in Mutationibus fidem veritatemq; per singula Exempla ostendit. Utilem quoq; hic navavit operam *D. Ioh. Tarnov. qui Comm. in Amos* V. p. m. 147. in certa membra digessit istam apparentem discrepantiam, quod sc. ex gravi causâ fiat à citantibus *vel* Ordinis mutatiô, *vel* detractio eorum, quæ ad institutum non videntur facere, *vel* Adjectio quædam ad illustrationem, *vel* Metaleptica verborum commutatio, *vel* alia levis immutatio. Videatur etiam *D. Kesler. Disp. de Alleg. Dict. V. T. Cap. IV.*

Observationes

Ex institutâ collatione locorum V & N T deprehendi, planiùs atq; pleniùs rem totam ita proponi posse. *1. Non adeo laborandum in solvendis ἐναντιοφανείαις, quæ non ab ipsis Evangelistis & Apostolis citata, sed tantùm historicè recitata sunt, quomodo ab aliis fuerint allegata.* Sufficit veritas in narrando, quod dixerint alii, quorum sermo dein examinandus est, quid veritatis aut falsitatis contineat. Talia Exempla leguntur partim malitiæ, partim ignorantiæ & falsæ doctrinæ adscribenda *Matth* II, 6. *cap.* V, 21, 27. 31 33. 38. 43. (ubi vel sensûs vel etiam verborum Legis per Scribas depravatio arguitur) *cap* XIX, 7. *Ioh* VI, 31. &c. *Ioh.* XII. 34. *Matth.* XXII, 24 *Marc.* XII. 19. *Luc.* XX, 28. *Matth* IV, 6. *Luc.* IV, 10. Si qui Probi Homines, non tamen Evangelistæ & Apostoli immediatâ Sp. S. inspiratione acti, aliter quippiam narrârunt, quàm in libris Canonicis reperitur, nihil decedit S. Scripturæ veritati, si in ipsis ἁμάρτημα quoddam μνημονικὸν admittatur.

1 si quædam nudè narrãtur ut citata ab aliis.

2. Si

2. Si non additur Citationis signum.

2. *Si quæ ab Evangelistis & Apostolis dicta aut scripta sunt, cum verbis Scriptorum V. T. non parùm quidem convenientia, sed tamen absq; ullâ citationis notâ, non præcisè opus est*, (utut studium collationis, quantum ea possibilis est, non improbetur,) *demonstrare, quod & scopo & sensu prorsus congruant.* Neq; enim probari potest, quod ipsi hoc intenderint. Huc pertinent loca. *Matth.* XIII, 15. *Rom.* X, 6. *cap.* XI, 34. I. *Corinth.* II, 16. *Ebr.* XII, 6. I. *Petr.* I. 24. *cap.* II. 22. *cap.* III, 14, 15. *cap.* IV, 8. 3. *Quando quædã adducta sunt* sub generali quâdam citatione, *quæ ad plura Scripturæ loca se potest extendere, non possumus adstringi, ut sensus aut verba allegata ex uno saltem monstremus*, sed sufficit hujusmodi sparsim quoq; colligere. Videatur *Matth.* XXVI, 54, 56. *Marc.* XIV, 49. *Luc.* XXI, 22. *cap.* XXIV, 44, 46. *Ioh.* VI, 45. *cap.* VII, 38. *cap.* XII. 14, 15. *cap.* XVII. 12. *Act.* III. 18. XV, 16, 17. XIII. 27. *Rom.* III. 10. seqq. *cap.* XI. 26. 27. II. *Cor.* VI, 16, 17, 18. *Iacob.* IV, 5, 6. 4. *Si quæ discrepantia occurrit in collatione locorum speciatim citatorum, ista* vel in *Omissione*, vel *Adjectione*, vel *Mutatione consistit, ut tamen nulla sit in sensu vera & realis pugna.* De singulis seorsim.

3. Si nota Citationis est Generalis,

4. Si in speciatim citatis occurrit discrepãtia, Aliquando est (1) Omissio Plurium Verborum.

I.

Omissio est *vel* Plurium, *vel* Singularum duntaxat vocum. *Plura verba* interdum omittuntur, 1. quando paucis, vel etiam solo Scripturæ Nomine, & Scripturæ, quæ indigitatur, materiâ indicatâ, allegatis, lector qs. ad fontem ducitur, ubi plenior habetur explicatio; præsertim cùm prolixum fuisset, integrum quendam contextum verbotenus adducere. Sic *Matth.* XXVI. 3. *Ioh.* I. 23. *cap.* XII. 15. *cap.* XIX. 28, 36, 37. *Act.* XIII. 33. (Ad probandam thesin v. 23. 37. positam de excitato Jesu Servatore non tantum Psalmi versus allegatus septimus, sed etiam sequentes pertinent) *Rom.* X, 15. *cap.* XI. 3, 4 27. *cap.* XV. 12. I. *Corinth.* I. 31. Huc referri potest in loco *Matth.* XXVII. allegatio *Ieremiæ*, ad indicandum, ut ibi inquiratur, quid circa materiam indicatam præter ea, quæ ex verbis Zachariæ confirmantur, ipse etiam scripserit. 2. quando non adeo omnia ad scopum allegationis pertinent. Sic *Matth.* IV. 15. omissa sunt tanquam impertinentia, quæ de præcedaneâ afflictione duplici terræ Zabulon & Naphthali dixerat Propheta *Esa.* IX. 1. & tantùm allegata, quæ ad secuturum per Messiam beneficium spectant, quod â Matthæo celebratum *Cap.* XXI.

1.

2.

XXI,8. citatis vaticinii verbis, quorum impletio tunc cernebatur, omissa sunt duo ex *Zach.* IX,9. epitheta Messiæ, *Iustus* & *Salvator* : Ibid.v.13. ad Scopum Christi sufficiens fuit ex *Esa.*LVI,7. solum templi Nomen, reliquis prætermissis. *Act.* III,22. omittuntur cùm alia tùm quæ de occasione promissi post Mosen alterius Prophetæ insigniter Magni *Deut.*XVIII,16,17. interserta leguntur. *Rom.*XI,3,4. tantùm ea ex Eliæ & respondentis DEI verbis adducuntur, quæ faciunt ad probationem, quod DEUS etiam in Populo impio habeat invisibiles suas reliquias, prætermissis aliis, quæ in textu I.*Reg.*XVIII, 14,15,16,17,18. simul leguntur. *Ebr.*XII,26,27. ex *Hagg.* II,7. citatur & urgetur illud, *Adhuc semel*, adeoq; verba Prophetæ omnia afferre non fuit necessarium.

3. quando sufficisse putarunt θεοπνέυςοι Scriptores ea, quæ adduxerunt, etiam non expressis omnibus ibi extantibus Sic *Matth.* XXII, 32. ex *Exod.* III,6. sufficiunt allegata, utut non addatur: *Ego Deus Patris tui.* Speciatim tale quid deprehenditur, quando omissa *sive* συνωνύμως, *sive* consequenter, *sive* ex cohærentiâ verborum jam implicitè simul comprehensa sunt. Sic ob *Synonymiam Matth.* IV. unâ tantum vice ponitur, *Vivet Homo. Matth.*XII, 20. omissa sunt ex *Esa.*XLII, 4. verba, *Non caligabit nec frangetur.* (Luth. er wird nicht murrisch noch greulich seyn) quia sensu conveniunt cum allegatis v. 19. *Non litigabit, neq; domabit.* Duæ phrases apud Prophetam, *Ad veritatem educet judicium*, & *Donec ponat in terrâ judicium*, comprehenduntur sub unâ, *Donec ejiciat ad victoriam judicium. Marc.* VII, 6. omissa sunt verba, *Appropinquavit populus iste in ore suo*; quia coincidunt cum his, *Populus iste labiis me honorat. Luc.* III, 4. ut & *Matth.*III, 3. saltem habetur, *in deserto*, pro eo, quod *Esa.* XL, 3. legitur & *In deserto* & *In solitudine.* ibid. v.6. etiam versus quintus Prophetæ summatim duntaxat indicatus est. *Act.*III, 22. omittitur illud, *è medio tui*, quod *Deut.*XVIII,15. legitur; quia coincidit cum phrasi subjuncta: *è fratribus tuis*, quam etiam Petrus l. c. adducit. *Cap.*XV, 16. ex allegato loco *Amos* IX,11. omittitur phrasis, *Et sepiam aperturas ejus*, quia convenit cum altera sequenti: *Et dirutas partes ejus instaurabo. Rom.*XI,4. phrasis de ore osculante Baal, quæ *I. Reg. XIX*, 18. habetur, comprehensa est sub flexione genu coram Baal; quia utraq; denotat gestum religiosæ reverentiæ erga Baal. *Rom.*

XIV, 11. nulla fit mentio verborum, quæ *Esa.* XLV, 23. habentur, *Egressum est de ore meo verbum justitiæ*, *& non revertetur*; quia est formula confirmationis comprehensa sub antecedente phrasi, *Per me juravi*, & hujus juramenti formula exprimitur à S. Paulo: *Vivo ego, dicit Dominus.* Ex *Esa.* LII, 11. repetitio Synonyma, ad fugiendum improborum consortium, paucioribus exprimitur. II. *Cor.* VI, 17. Quod nonnunquam aliqua omissa sint, quia *vel expreße*, *vel implicitè in connexione cum antecedentibus verbis citatis jamdum extent*, monstrabunt Exempla. Quùm *Ierem.* XXXI, 15. dicatur, Rachel ploràsse super filiis suis, & renuisse consolationem admittere super filiis suis, *Matth.* II, 18. verba, *super filiis suis*, alterâ vice omissa sunt, quia jam antè posita. *Ebr.* X, 7. non addita sunt verba ex *Psalm.* XL, 8. *Volui*, & *Lex tua in medio viscerum meorum.* Comprehenduntur enim sub præcedentibus, *Ecce adsum*, *ut faciam voluntatem tuam.* Sicut etiam exinde Voluntatem Christi in perficiendo DEI Patris placito ibidem *v.* 9, 10. demonstrat Apostolus.

Singularum Vocum Omissio *singularum* quarundam *vocum* similiter animadvertitur ortum habere ex eo, quod *vel* ad scopum & sensum nō adeò necessariæ, *vel* ex contextu satis superq; notæ, *vel* per Synonymiam, aut Metalepsin allegata simul complectitur eam, quæ est omissa.

sc. Nominis. Talis est defectus alicujus *Nominis.* *Matth.* II, 20. omittitur *Ephrata*, quia sufficiebat alterum Nomen *Bethlehem.* *Luc.* IV, 18. posito semel Nomine κυϱίϫ, non exprimitur *Iehovæ* appellatio, quæ *Esa.* LXI, 1. bis additur. *Act.* I, 20. omissum est nomen *Tentorij*, quod legitur Psalm. LXIX. quia præcessit Synonymum, *commoratio.* *Rom.* IX, 28. habetur: *In terra*, pro: *In Medio omnis Terræ* ex *Esa.* X, 22. *Ebr.* X, 6. *Holocautomata & pro peccato*,

Pronominis. sc. hostiam, ex *Psalm.* XL, 7. *Pronominis non* expressi habentur Exempla *Matth.* XV, 8. Labiis sc. suis, prout extat *Esa.* XXIX, 13. *Rom.* I, 17. *Gal.* III, 11. *Ebr.* X, 38. Justus ex fide vivet, ex *Hab.* II, 4. Justus in fide *suâ* vivet. *Ebr.* X, 7. DEUS, ex *Psal.* XL. DEUS *mi.*

Verbi. *Verbum Aspicite* in citato loco *Hab.* I, 5. omittitur *Actor.* XIII, 41.

Adverbij. quia jam ante dictum erat *Videtur.* De *Adverbiis* par ratio. *Matth.* VIII. non est additum, *Verè*, sicut *Esa* LIII, 4. quia certitudo dicti est in confesso, quomodo etiam *Rom.* IX, 17. omissa est translatio vocis אוּלָם *Profectò* ex *Exod.* IX, 16. *Conjunctio* Copulativa deficit

Coniunctionis.

deficit *Act.* VIII, 33. in humilitate judicium ejus ſublatum eſt, cùm *Eſa.* LIII, 8. legatur: De clauſurâ & de judicio ſublatus eſt. *Præpoſitio* eſt omiſſa *Act.* II, 21. *In*, ex *Ioel.* III, 5. it. *Ebr.* VIII, 9. ex *Ier.* XXXI, 32. (Ebræus idiotismus hic per particulæ præteritionem optimè eſt redditus) *Rom.* IX, 27. ex *Eſa.* X, 22. omiſſum eſt, *In eo,* ſcil. Iſraele, quia implicitè hoc ipſum contextus indicat. *Præpoſitionis.*

Adjectio quædam exigua animadvertitur, *ſive* quia in citati loci contextu, *ſive* in loco parallelo, *ſive* in re ipsâ tale quid latet, adeoq; παραφραστικῶς exprimitur. Conf. *Hieron. l. c. ad Pammachium*, qui itidem paraphraſticam citationem in Scriptoribus N. T. notavit. *Integra Phraſis* adjecta legitur *Luc.* IV, 18. in citatione *Eſa.* LXI, 2. ubi additur, *Et cæcis viſum*, ex loco Prophetæ parallelo *Cap.* XLII, 7. Cùm *Deut.* VI, 5. tria tantùm habeantur membra de modo diligendi DEUM. *Marc.* XII, 30, 33. *Luc.* X, 27. quatuor ponuntur, ſed eodem planè ſenſu; quomodo etiam in V. T. interdum exprimuntur Tria, *totum Cor, tota Anima, tota Fortitudo, Deut.* VI, 5. II. *Reg.* XXIII, 3, 25. interdum Duo, *Totum Cor & tota Anima, Deut.* X, 12. *cap.* XI, 13. *cap.* XIII, 3. *cap.* XXVI, 16. *cap.* XXX, 6. *Ioſ.* XXII, 5. I. *Reg.* I, 4. interdum unicum duntaxat, *Ex toto Corde*, I. *Sam.* XII, 21, 24. (vel *totum Cor & tota Voluntas*, II. *Chron.* XV, 15.) I. *Reg.* VIII, 23, 48. *cap.* XIV, 8. II. *Reg.* X, 31. II. *Chron.* XXXI, 21. *Pſalm.* CXIX, 69. Sola enim diverſitas eſt in diſtinctâ acceptione *Cordis* quod *vel* generatim notat omnes Animæ noſtræ vires & ſtudia (II. *Chron.* XI, 16. *Prov.* XXIII, 16. &c.) *vel* diſtinctè Intellectum (*Prov.* XVI, 9.) *vel* Memoriam (*Deut.* IV, 29. *cap.* VI, 8.) *vel* Voluntatem (I. *Chron.* XII, 38.) *vel* ſedem Affectuum & Appetitus *Gen.* VI, 8. *Dan.* VII, 4. *cap.* VI, 9. Hinc διάνοια vel σύνεσις alibi ſub mentione totius Cordis comprehenditur, alibi autem diſtinguitur. *Actor.* II, 17. ex contextu *Ioël.* II, 28. additum eſt, *Dicit Deus.* v. 19. additum eſt, *Surſum & Deorſum*, quod in ipsâ mentione Cœli & Terræ implicitum extat. *Act.* XV, 16. illud *Revertar & reædificabo*, quamvis Amos IX, 11. tantùm legatur, *Erigam*, tamen implicitè habetur in toto contextu. Agitur enim de erectione tabernaculi collapſi, de ſepimento rupturarum, de dirutorum erectione, de ædificatione ſicut fuit diebus ſeculi. Hæc ſc. ipſa eſt reverſio ad reædificandum. Præterea jam, quod ipſum hunc textum (ut verba v. 15. innuunt) ex diverſis Prophetarum

(2) Adjectio

Integræ Phraſeos.

locis concinnatum autumant aliqui, adeoq; non necesse sit, totalem cum uno convenientiam ostendere, prout suprà monitum est. *Rom.* XI,9. additum est, in captionem, quod Palm. LXIX. sub mentione laquei comprehenditur. *Ibid. vers.* 27. verba, *Cùm abstulero peccata ipsorum*, quoad sensum habentur in antecedentibus loci allegati *Esa.* LIX,20. quoad verba autem in loco parallelo *Ierem.* XXXI,33,34. adeò ut & ibi duorum dictorum combinatio facilè concedi possit, præsertim quando saltem præmissa est generalis allegatio, *Sicut scriptum est*: Vide suprà. I. *Cor.* XIV, 21. verba ista, *Et ita quoq; me non audient, dicit Dominus*, non sunt peculiare additamentum, sed summa eorum, quæ *Esa.* XXVIII, 12, 15. subjiciuntur. *Gal.* III,10. pro phrasi; Verba legis hujus, *Deut.* XXVII,6. habetur, *Omnia, quæ scripta sunt in libro Legis*, quod utiq; ex contextu ibid. v. 3. desumtum est. Quoad *singulas* nonnullas *voces* animadvertitur quædam Adjectio. De *Nomine* quodam *Substantivo Matth.* XXVI,31. *Oves* Gregis, pro Ebr. הַצֹּאן qui Gregem minorum pecudum, & quidem communissimè Ovium significat, *Act.* XV. exprimitur *Dominus*, quem ipsum inquirendum contextus *Am.* IX,12. insinuat. *Rom.* IX.27. additur Nomen *Numerus*, quod omninò *Esa.* X, 22. subintelligi clarum est. *Rom.* XI,3. illud *Domine*, ex contextu I. *Reg.* XIX,14. desumtum est. *ibid. v.* 4. nomen *Virorum* quod I. *Reg.* XIX,18. intelligitur, expressè positum est. De *Adjectivo* addito ad exprimendum legitimum loci allegati sensum, habentur Exempla. *Matth.* IV,7. *Solus*, *Act.* XV,17. *Gal.* III,10,13. *Omnis*. De *Pronomine. Matth.* XI,10. Tuam. *Act.* II, 18. Meos, Meas. *Rom.* XI, 4. Mihi. De *Adverbio Matth.* XV, 9. Frustra. *Rom* IX, 26. illic. *De Præpositione. Act.* II,17. De, ad explicandam tùm mensuram, tùm diversitatem Donorum Spiritus S. qui *Ioel* II,28. effundendus dicitur. *Rom* IX, 17. *In* est Adjectum, ut indicetur, quod non tantum viderit Pharao DEI potentiam, sed ipse etiam fuerit, in quo eam Deus adeò manifestè exercuerit, ut in universâ terrâ postmodum sit annunciata. Non igitur respexit Apostolus ad sola verba *Exod.* IX,16. sed ad totum contextum, adeoq; etiam ad v. 14. ubi DEUS dixit, Mitto plagas meas In Cor tuum, v. 15. Percutiam te, &c. *Matth.* XII, 18. *In quo*, ad exprimendum sensum Ebræi textus *Esa* XLII, 1. De *Conjunctione Copulativâ* (quæ sæpius in Ebræo non exprimitur) Exempla sunt

Aut singularum Vocum, Nominis.

Pronominis. Adverbij. Præpositionis.

Conjunctionis.

Matth. II, 28. IV, 16. *cap.* XII, 18. *Rom.* XI, 9. *cap.* XV, 12. *Ebr.* I, 7. De *adversativâ Matth.* XV, 9. ubiq; sensu immutato, & clariùs sæpè expresso.

III.

Mutatio, quæ interdum reperitur, *vel* Ordinem duntaxat, *vel* Modum loquendi, *vel* verba concernit. *(3) Mutatio*

Immutati aliquantisper *Ordinis* in sermone, absq; ullo sensûs detrimento, exempla videre est *Ioh.* XII, 40. *Act.* II, 17. *cap.* VIII. bis. *cap.* XIII. & *cap.* XXVIII, 26, *Rom.* IX, 25 (*Ose.* II, 23. de Non-dilectâ, seu Misericordiam non consecutâ præponitur) *cap.* X, 20. *cap.* XI, 3, 9. I. *Cor.* XIV, 21. *Ebr.* III, 9. *vel Ordinis.*

Ad immutatum loquendi modum pertinet, quando aliquid *Erotematice prolatum Categoricè effertur*, sensu eo, quem interrogatio innuit. Conf. *Matth* XXI, 13. cum *Ier.* VII, 11. *Ebr.* VIII, 9. legitur: *Despexi eos*, quod concordat cum *Ierem.* XXXI, 32. si interrogativè legatur וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם *Et ego conjugio junctus mansissem eis?* ℞. Minimè. Econtra *per Interrogationem effertur*, quod *Categoricè dictum.* Sic *Act.* VII, 50. ex *Esa.* LXVI. Item quando nudè referuntur, quæ in Scripturis V.T. per formam *Dialogi* aut Dramatis sunt proposita. Exemplum habetur *Matth.* XIII, 14. *Ioh.* XII, 40. ubi absq; mentione Dialogismi DEI cum Prophetâ: *Vade & dices populo huic, &c.* impingva Cor populi hujus, &c. nuda proponitur prædictio, & DEO tribuitur excæcatio, quæ *Esa.* VI, 9. 10. in isto Dialogo Prophetæ. *vel Modi loquendi*

Immutatio *Verborum* facta est *vel* Alia substituendo, *vel* Eadem aliter flectendo. Substitutio *aliorum* concernit *vel* integras Phrases, *vel* singulas voces, Nomina, Verba, Præpositiones. In utrâq; sensus dicti citati exprimitur *sive* per Synecdochen, *sive* per Metonymiam, *sive* Metaphoram, *sive* Verba, Grammaticis *prægnantia* dicta, ubi alterum altero comprehenditur, *sive* alio quodam modo in re ipsâ æquipollentia. *Vel Verborum; Sive Aliorum*

Sic *Matth.* IV, 4. pro *Quoniam* ponitur *Sed*, benè ad sensum, ubi hoc posterius membrum adversativè priori subjungitur. *Ibid.* quod egreditur ex ore Domini, rectissimè nominatur Verbum prodiens ex ore DEI. *v.* 11. Adorabis, ex *Deut.* VI, 13 Timebis, quia Timor DEI omnem Reverentiam ejus religiosam adeoq; etiam Adorationem complectitur *Psalm.* CXLV, 18, 19.

 v. 16.

v. 16. καϑήμενος *sedens* in tenebris, pro *Ambulans*, ad notandam diuturnitatem commorationis in istis tenebris, Verbum, הָלַךְ non motum duntaxat de loco in locum, sed & statum ac vitæ institutum notat, *Psalm*. LVI, 15. *Gen*. V. 22, 24. *Esa*. II, 5. *Rom*. XIII, 12. *Ephes*. IV, 17. *cap*. V, 8. &c. *cap*. VIII, 17. pro *Tulit* est ἔλαβε, *Accepit*, quia ideò in se recipit, ut portaret, quod sequenti verbo ἐβάστασεν indicatur. *Dolores* מַכְאֹבִים Evangelista reddidit νόσους *Morbos*, quia ex his dolores oriuntur, & Nomen Ebræũ sæpius pro istis doloribus ex morbo aut vulnere usurpatur, *Gen*. XXXIV, 25. *Iob* II, 23. *Psalm*. XXXVII, 18. LXIX, 27. (Ebr. *Dolorem vulneratorum tuorum narrabunt*:) *Ier*. XV, 18. LI, 8. &c. *Matth*. XII, 18, Ebræum תָּלַךְ per αἱρετίζειν optimè reddidit, siquidem Græca hæc vox (quæ in N. T. aliàs non reperitur) licet communiter soleat verti per *Eligere*, tamen rectiùs accipitur pro *Apprehendere*, *Adsciscere sibi*, *Assumere*, quomodo Hesychius αἱρετίζω vertit αἱρῶ αὐτοὺς πρὸς ἐμαυτόν. Nec negari potest, quod verbum Ebræum in ista significatione adhibeatur *Gen*. XLVIII, 17. *Prov*. III, 18. *cap*. IV, 4. *cap*. XI, 16 & alibi. Si quis tamen omninò velit significationem *Eligendi* retinere, poterit dici, quod hoc verbo respiciatur proximè apud Prophetam sequens Nomen בְּחִירִי *Electus meus*. *Ibid*. Pro *Electus* habetur *Dilectus*, optimè expresso sensu, qui etiam patet ex verbis proximè subjunctis. רָצְתָה *Delectata est anima mea*. Ibid. *Annunciabit*, pro *Exire faciet*. Annunciando enim fecit exire, quæ in sinu Patris olim qs. recondita *Ioh*. I, 8. *Ibid*. *v*. 20. *Donec ejiciat ad victoriam judicium*, est sensus verborum Propheticorum in altero versus tertii membro, & v. 4. in pauciora contractio, *Versu* 21. *In ejus Nomine Gentes sperabunt*, pro eo, quod est in Ebr. *Ad Legem ejus Insulæ expectabunt*. Nomen DEI enim etiam Mandatum ejus significat, & Voluntatem revelatam. *Deut*. XVIII, 19, 20. *Ierem*. XIV, 14, 15. I. *Cor*. V, 4. &c. אִיִּים non *Insulas* semper propriè ita dictas significat, sed quasvis regiones transmarinas seu remotissimas. *Gen*. X, 5. *Esa*. XI, 11. &c. adeoq; omnes quæ olim ad Ecclesiam non pertinerunt. i. e. *Gentiles* *Psalm*. LXXII, 10, 11. *Esa* XLI, 1-5. ita etiam *cap*. XLII, 10, 12. quæ collatio docet, etiam v. 4. per *Insulas* denotari *Gentes*. Benè etiam *Expectare* vertitur *sperare*, quod est,

bonum

bonum ſperatum expectare cum fiduciâ, *Pſalm.* XXV, 2, 3. 5, 21. & alibi ſæpisſimè. *Matth. XII, 19. Non litigabit*, pro, *Non vociferabitur*, *Eſa. XLII, 2.* ſcil. ut ſolent rixoſi homines inter litigandum voce intensâ uti, *Epheſ. IV, 31. Ibid. Non audiet quisquam vocem ejus* notat effectum ejus, quod Propheta dixit, *Non faciet audire vocem ſuam. Cap. XXI, 5. Manſvetus, Zach. IX, 9.* עָנִי *Humilis*, *Pauper*, *Oppreſſus*, Paupertati enim & Afflictioni plerunq; ortum debet Manſvetudo. (Non ſeponenda etiam eſt obſervatio, quod עָנִי cum עָנָו ab unâ rad. ענה deſcendentes etiam ſignificationem inter ſe permutent, ut prius *Manſvetum* quoque, poſterius etiam *Humilem* denotet. Quin ipſa Chriſti Paupertas eſt ejus Manſvetudo, quâ propter nos Pauper fieri voluit. Paupertatem in iſtâ hiſtoriâ mutuatio aſinæ, Manſvetudinem lacrymæ ſuper Jeruſalem indicârunt.) *Cap. XXI, 16.* ex *Pſalm. VIII, 3.* pro *Fundâſti* habetur *Perfeciſti*, quia ex optimâ fundatione alicujus rei Perfectio & ſoliditas dependet, *Zach. IV, 9.* Conf. *Exod. IX, 18. I. Reg. V, 17.* ubi יסד Targum reddit per כלל. *Ibidem* pro *Robur* habetur *Laus*, quia Robur, quod ex ore infantum procedit, eſt vehementiſſima DEI laudatio. Conf *Exod. XV. 2. Pſalm. XXIX, 1. XCVI, 7. CXVIII, 14. &c.* (ubi itidem Fortitudo & celebratio DEI conjunguntur. *Luc. III, 4.* illud *Eſa XL, 4.* Vallis ſe *exaltabit*, exegeticè redditum eſt, *ſupplebitur*. Quando enim concavitas vallium ſuperadductâ terrâ impletur, tunc exaltantur. Metaphoricè indicata eſt ubertas gratiæ & gloriæ apud ſpiritualiter contritos (Conf. *Luc. I, 52, 53.*) *Ibid. v. 6.* nominatur *ſalutare DEI*: apud Prophetam, *quod os Domini locutum eſt*. Nam Meſſias, qui DEI σωτήριον nuncupatur, eſt ille ipſe, de quo ibidem v. 1, 2, 3. os Domini locutum eſt, quod ſit fundamentum conſolationis contra peccata. Rectiùs tamen hic Locus refertur inter ea de quibus Hypotheſi Primâ dictum eſt, quod Duo Scripturæ V. T. Dicta combinentur, ſc. ex *Eſa. XL, 3, 4.* & *LII, 10.* His recenſitis Exemplis de Subſtitutione Aliorum Verborum, addenda ſunt, quæ ſigillatim evolvere prolixum nimis foret, ſed tamen inſpici poſſunt, *Matth. XIII, 35. cap. XV, 9. cap. XXI, 5. Luc. III, 6. cap IV, 18. Act. II, 17, 18, 20, 21, 26, 28. cap. III, 22, 23, 25. cap. VIII, 33. cap. XIII, 34, 41. cap XV, 16, 17. Rom. III, 4, 11, 12, 14. cap. IX, 9, 25, 27, 28. cap. X, 19, 21. cap. XI, 4, 9, 10, 26. cap. XIV, 11. cap. XV, 12. I. Cor. I, 19.*

cap.

cap.XIV,21. cap.XV,55. Gal.III,8,10. cap.IV,30. Eph.IV,8. Ebr.VIII,8. cap.IX,20. cap.X,5,6,7.

Sive Eorandem. *Eadem verba* interdum reperiuntur *Immutata*, & quidem non unâ ratione. Interdum enim immutatur *Pars Orationis* ut *Rom. XII,19.* ubi verbaliter exprimitur, *Retribuam*, quod *Deut. XXXII, 35.* per Nomen, *Mihi Retributio*, sc. est. Interdum est *Enallage Numeri. Matth.I,23.* in plurimis Exemplaribus Græcis *Vocabunt*, pro קָרָאת quod Fœm. gen. redditur vel *Vocabis* ut *Gen. VII,11. Esa. LX,18.* quomodo etiam *LXX.* l. c. vertunt, vel *Vocabit* (in formâ contractâ, Buxtorf. in Concord. & Thes. Gramm. lib. 1. c. 43. p. 238.) vel *Vocans*, ut sit Forma Participii, quod ex AbenEsra censet Bohl Comm. in h.l.p.*64*. conveniens cum præcedentibus *Prægnans, Pariens,*) Nomen enim illud Immanuel, non tantùm Maria Mater, sed & alii huic Filio competere agnoscunt. Huc pertinet Canon, quod *Activa verba tertiæ personæ sine Nominativo expresso interdum Passivorum significationem assumant.* Conf. D. *Glass. Philol. Sacr. tract.1.p.50. Matth.IV,7.* Non Tentabis ex *Deut.VI,16.* Ne Tentetur. *Matth.XXI,5.* Filius *Asinæ*. Ita enim optimè in Græco expressus est Ebraismus, Filius *Asinarum, Zach.IX, 9.* id est, unus ex pluribus. Similia Exempla sunt *Gen. XIIX, 7.* Filius Armenti. *Iud.XIV.5.* catulus Leænarum, *Ps.XXIX,6.* Filius Unicornium &c. Conf. iterum D. *Glass. l. c. can. 27. p.90. Luc.III,5. Curva, Recta*, Pluraliter ad indicandam distributionem, quæ etiam *Esa. XL, 4.* per sequens Plurale, *Altitudines* notatur. *Ioh. XII,40.* vertitur in Plurali, quod *Esa. VI, 10.* in singulari quidem, sed cum Nomine collectivo Populi enunciatur, *Commoratio* ejus, pro *Commorationes* eorum, ex *Psalm.LXIX,16. Cap.III,22. Vobis, Vester, Vestris*, pro *Tibi, Tuus, Tuis.* Interdum fit *inflexio ratione Personæ.* Huc pertinet *Matth.I,23. Vocabunt*, si Ebræum redditur, *Vocabis, Matth.XI, 10.* Ante faciem *Tuam*, pro *Meam. Mal.III,1.* propter Patris & Filii identitatem Essentiæ atq; Voluntatis *Matth. XXVI,31. Percutiam*, pro, *Percute*; quia figurato alloquio Gladii Deus enunciat, se percussurum esse Pastorem. Plura Exempla sunt, *Ioh XII,40. I.Cor.I,19. cap,XIV,21, II Cor.VI,16.* (nisi potiùs dixeris, respici *Ezech.XXXVII,27.* ubi Tertia persona habetur, Erunt mihi in populum) *Eph.IV,8.* Speciatim quoad *Nomina* occurrit *Permutatio Appellativi & Proprij, Matth.II,18.* (quamvis non inconcinnè re-

tento

tento Nomine Propriô, quia *Rama* fuit in Vicinia Bethlehem, *Iudic.XIX, 2, 9, 13.* magnitudo clamoris notetur, quod etiam in Ramâ ſit auditus.) *Actor.XV,17.* per Reliquias *Edom* nominantur οἱ καταλοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, quia ſub nomine *Edom* reliqui *Homines* ab Eccleſiâ alieni, ſeu, ut verba immediatè ſequentia innuunt, *Omnes Gentes*, intelliguntur, quæ ſc. antea DEI Eccleſiæ fuerunt adverſæ, *Eſa.XXXIV, 5. Cap.LXIII, 1. Permutatio Subſtantivi & Adjectivi* occurrit. *Gal.III, 13. Execrabilis* eſt, pro *Execratio* eſt, ſenſu eodem, *Ebr. I, 7. Flamma* ignis, pro, ignis *flammans* ſ. flagrans. Quoad *Caſus* permutatio animadvertitur *Act. VIII, 33. Iudicium ejus ſublatum eſt*, pro, *Sublatus eſt de judicio*, Nam eo ipſo judicium ejus ſublatum eſt, quod ipſe è Judicio evadens nos ab eodem liberavit. Huc ſolet referri *Actor. XI, 17.* Requirant reliqui homines Dominum; quum *Amos IX,12.* habeatur יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם. quod communiter vertitur, *Poßideant reſiduum Edom*. De *Edom* pro Gentibus poſito jam dictum. Neq; ineptè *Poßidere* vertitur *Requirere*, quia *verba Actionem ſeu effectum notantia haud rarò de conatu agendi exponenda* ſunt. Vide *D. Glaßij Gramm. ſacr. tract. 3. can. 8. p. 234. ſeq.* Ita & hic Poſſidere conatum ſ. requiſitionem Poſſeſſionis ſignificat. De Adjectione Nominis, *Dominum*, itidem jam monitum eſt. Sola reſtat difficultas de Caſu, quem *Accuſativum* eſſe ex nota את volunt concludere, adeoq; mutatum ab Evangeliſta Caſum hunc in *Nominativum*. Ut verò nunc taceam, quod ſuperiùs monui, non neceſſe eſſe, ut generalis in h.l. citatio ad ſolum locum *Am.IX.* reſtringatur, tamen & hic cum mente Apoſtolicâ benè concordat, ſi non in Accuſativo, ſed Nominativo explicetur, *Reliquiæ hominum requirent ad poßidendum, &c.* Quod enim את *interdum notet Nominativum*, docent Exempla, non tantum quando poſt verba Paſſiva ponitur, ſed etiam, quando poſt Neutra & Activa. Præter ea, quæ *D. Glaſſ. l. c.* p.94. ſeq. adduxit, alia adhuc leguntur, *II. Reg.IX,25. Ierem. XXXVIII,16. Ezech.XLIII,7.* Quoad *Verba* interdum reperitur *permutatio Activi & Paßivi*, ſenſu invariato. Sic *Act.XIII,41.* ſi quis *enarraverit* vobis, pro, cùm *narrabitur*. *I.Cor.XV, 54. Abſorpta eſt Mors*, pro *Abſorbebit Mortem*. Apud Prophetam Autor, apud Apoſtolum Eventus hujus abſorptionis indicatur. De Permutatione *Temporum* vel etiam *Modorum* videantur loca *Matth.I, 23.* ubi ſub

verbis Futuri Temporis allegatur vaticinium *Esa. VII, 14.* Utut enim Propheta ibi ad denotandam & rei cognitionis certitudinem utatur præsenti, tamen revera adhuc futurum, & post aliquot demum secula implendum erat, quod prædicebat. *Cap. XII, 18.* in Præterito redditur, *Assumsi*, quod *Esa. XLII, 1.* effertur in Futuro; quia & eo tempore jam impletum erat istud vaticinium, & Propheta subjunctis verbis *Voluit*, *Dedi*, itidem indicavit certitudinem impletionis. Sic *Cap. XXI, 5. Venit* pro *Veniet. Cap. XXVI, 31.* Futurum indicativi primæ Personæ, *Percutiam*, ponitur pro secundâ Præsentis imperativi, *Percute.* Vide, quæ ad h. l. suprà notata sunt. *Ioh. XII, 40.* Præterito indicativi Activi, & *Act. XXVIII, 27.* Passivi effertur, quod *Esa. VI, 9.* sub Præsenti imperativi. *I. Cor. XV, 54.* per Præteritum explicatur vaticinium futuri Temporis, *Esa. XXV, 8.* præmisso tamen Exordio, *Tunc fiet illud, quod scriptum est, Absorpta est Mors.* Ad jam recensitas Classes Observationum de citatis in N. T. dictis ex Veteri putamus facilè referri posse reliqua exempla, quæ vel oculos nostros fugerunt, vel ob evidentiam omissa sunt.

De luculento hujus Hypotheseos *usu* non est, ut multis agamus. Sufficiet nobis, si ostendemus inferiùs eundem in allegatis à Matthæo verbis Zachariæ quomodo invicem conveniant.

Septima: Quædam in S. Scripturâ habentur secundùm sensum vel Consequentiam.

Hypothesis Septima.

Non tantùm quæ per claram literam expressa, sed etiam ea censenda sunt à Prophetis & in Propheticâ Scripturâ dicta, quæ secundùm sensum continentur, vel per bonam consequentiam exinde eliciuntur.

Inculcat venerandus Patrum Chorus hinc inde, quod Scripturæ vis consistat non in Verbis, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum foliis, sed in Radice Rationis: adeoq; in iis nonnulla sint, licet non totidem verbis ibi expressa. *Greg. Nazianz. T. I. Orat. 6.* quæ est de Spiritu S. f. 192. seq. *Dionysius Alex.* apud Athanas. T. I. f. 438. Epist. de ejus sententiâ. *Ambros. T. I. lib. de fide contra Arianos cap. 5. f. 172. August. T. II. Epist. 178. f. 797. seqq. &c.* Conf. *Hutter. Loc. Theol. de Script. S. q. 6. f. 70. D.*

Dannh.

Dannh. Dialect. Sacr. Art. 3. §. 15. p. 34. Art. 4. §. 28. p. 76. seqq. & in *Hodosoph. Phænom. 1. p. 48. Rivet. Isag. in Script. S. cap. 17. p. 243. seqq. Balduin. Phosph. lib. 3. cap. 4. p. 94.* In ipsâ Scripturâ N. T. allegari aliquando sub phrasi *Dictum est, dicit &c.* quod tamen in loco citato non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed κατὰ τὴν διάνοιαν & vi bonæ consequentiæ invenitur, exempla ostendunt. *Matth.* VIII, 16, 17. in sanatione Morborum Corporis asseritur *impletum, quod Dictum est per Prophetam* Esaiam *cap.* LIII, 4. ubi directè agitur de Spirituali, consequenter autem de Corporali etiam sanatione. *Matth.* XXII, 31. 32. *De Resurrectione Mortuorum non legistis, quod vobis Dictum est à DEO, dicente: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Iacob?* Nihil hic expresse de Resurrectione mortuorum legitur, & tamen ibi *Dictum* esse censetur de eâ, propter vim consequentiæ à Christo monstratæ in verbis, *Non est DEUS Mortuorum, sed Viventium. Ioh.* XII, 41. Hæc dixit *Esaias quando vidit gloriam ejus,* (CHRISTI) *&* locutus est *de eo. Actor.* X, 43. *Huic* (CHRISTO) *omnes Prophetæ testimonium perhibent*, scil. partim ῥητῶς, partim διανοητικῶς. *Cap.* XIII, 34. *Quod suscitavit eum à mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem*, ita dixit: *Quia dabo vobis sancta David fidelia. Cap.* XXVI, 22, 23. asserit S. Paulus se nihil dicere extra ea, quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant. Istius prædictionis & suæ prædicationis quædam præcipua capita recenset, scil. CHRISTUM fuisse passurum, ac Primum ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo. Sic *Luc.* XXIV, 25. *Rom.* I, 1, 2, 3, 4. Libertatem accipiendi stipendium pro labore Ministerii Evangelici probaturus Apostolus I. *Cor.* IX, 8. ait: *Nonne etiam Lex hæc* dicit? *Scriptum est enim in Lege Mosis*, Non alligabis os bovi trituranti; Nervus concludendi statim ex iis, quæ subjungit, elucescit. *Ebr.* XII, 26, 27. *Quod* Adhuc semel *dicit*, (*Hag.* II, 7.) *declarat* (δηλοῖ manifestè ostendit) *mobilium translationem, tanquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt immobilia.*

Usum hujus Hypotheseos etiam in Explicatione citatorum Propheticorum Textuum deprehendemus.

Hypothesis Octava.

Octava: Impletur Scriptura diversis Modis.

Utilis est Regula, ad illustranda multa Scripturæ loca, quod *Prophetia S. Scripturæ dicitur & intelligitur impleri diversis modis.* Inculcat hanc ipsam Summus Theologus

Chemn. Harm. Evang. cap. 12. p. 249. seq. Sed de Numero & ratione istorum diversorum Modorum impletionis variant sententiæ. Vide *Ib. & D. Glass. Exeg. Evang. Dom. post. Circumc. Christi. p. 864. seq. Kesler. Disp. de Alleg. Dict. V. T. Cap. V. & VI. apud Hacksp. in Sylloge. D. Calixt. Concord. Evang. lib. 1. cap. 12. p. 58. Scultet. Exerc. Evang. lib. 1. cap. 60. p. 157. it. lib. 2. cap. 10. p. 38. Rivet. in Ose. XI, p. 340.*

Pensitatis omnibus in N. T. locis, ubi aliqua *Scriptura* dicitur *impleta*, possunt Modi isti in Classes Tabellâ hâc inclusas dispesci,

Tabella de Modis Impletæ S. Scripturæ.

Impletio Scripturæ est vel
- *Vnica*, quâ impletur sive
  - *Literaliter.* Num. I.
  - *Mystice*, in Antitypo, quod in typo præfiguratum Num. II.
- *Repetita*, vel *ob*
  - 1. *Capitis & Corporis mystici consortium.* N. III.
  - 2. *Distinctum Facti Iudicium*, Num. IV.
  - 3. *Generale Effatum.* Num. V.
  - 4. *Simile Factum.* Num. VI.
  - 5. *Impletum Consectarium.* Num. VII.

Quid sit Impleri Scripturam

Phrasis *Impletur Scriptura*, nonnullis videtur dicta per Metaphoram desumtam ab impletione alicujus continentis per aliquam materiam, ita ut prophetiæ, minæ, & promissiones rerum futurarum velut adhuc vacuæ hient, donec adventu rei prædictæ illud vacuum repletâ mensurâ tollatur. Sed qvum *Matth. V, 17.* hujusmodi *Impletioni* κατάλυσις *Destructio*, non autem *Evacuatio* opponatur, & Sociniani istâ metaphoræ ratione abutantur, (sc. quando statuunt, Christum implevisse Legem per nova additamenta) poterit simpliciùs illud *impleri* accipi pro *perfici, absolvi*, ut *Act. XIII, 25. cap. XIX, 21.* &c quomodo etiam πεπληρωμένος dicitur *perfectus Ioh. XVI, 2. XVII. 13. Coloss. II, 10.* & cum *Perfecto* conjungitur. *Col. IV, 12.* Quando enim reipsâ præstatur, quod verbo dictum erat, tunc illud ipsum Verbum perficitur atq; impletur Effectu. *Luc. I, 20. Ioh. XVIII, 9, 32.* Sic *I. Reg. II, 27. II. Chron. XXXVI, 20, 21.* Hinc DEUS dicitur id, *quod Ore locutus est, Manu*, i. e. Opere *implere. I. Reg. II, 15, 24. II. Chron. VI, 14, 15.* Nec est, quod *Erasmus annot. ad Matth. I. fol. 9.* verbum *Implendi* in hac significatione refugiat, tanquam Latinis auribus ignotum: qvum apud Ciceronem, Plinium, aliosq; probatos Autores ita ocurrere Erasmus Schmidius & Beza annot. in N. T. benè animadverterint.

Quando

Quando *Vnicam* nomino Scripturæ impletionem, eam intelligo. ubi in uno *Subjecto* (sive illud singulare sit individuum, sive plura uno nomine collectivo efferenda comprehendat, e. g. Populus Israël, Gens &c.) vel in uno *Facto*, vel simul in uno *Subjecto atq; Facto* illud impletur, quod Scriptura antea *vel* Verbo prædixit, *vel* Facto præfiguravit: Sicut econtra dicitur *Repetita*, ubi sæpiùs, & quidem in distinctis Subjectis illud fit, quod in Scripturâ extat.

Fit

I. *Sensu Literali* dicitur *Scriptura impleri*, quando idipsum fit, de quo propriè illa loquitur. Exempla videantur *Matth.*I,23. *Cap.*IV,14,15,16. *Cap.*XII,17,18. *Cap.*XXI,4,5. *Cap.*XXVII,35. *Marc.*XV,28. *Ioh.*XIX.24. *Act.*II,25. seqq. *Cap.*III,22,23. *Ebr.*I,13. *1. Literaliter.*

II. Ad sensum S. Scripturæ *Mysticum* pertinet *Typus* Historicus, quando sc. Personæ & Facta in V. T. præfigurârunt ea, quæ in N. T. eventura erant. Dicitur itaq; *impleri Scriptura*, quando illud fit *in Antitypo*, quod scriptum legitur *de Typo*. Sic *Ioh.*XIX, 36. *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur*, Os non comminuetis ex eo. Verba hæc de Agno Paschali scripta *Exod.*XII,46. *Num* IX,12. dicuntur impleta in CHRISTO, qui est Agni istius Antitypus. I.*Cor.*V, 6,7,8. *Marc.* IX, 13. dicitur scriptum de Johanne Bapt. quod fecerint in eo quæcunq; voluerint. Explicant quidam de Eliæ Typi scriptis Persecutionibus. *Calixt. Concord. Evang. p.* 281. De loco *Matt.*II,23. jam actum est *Cap. II.* in *examine Interp Sextæ*. Sic etiam, cum ex ipso N. T. codice constet, quod Jonæ in ventre ceti delitescentia, *Matth.* XII,40. XVI, 4. Serpentis ænei erectio *Ioh.* III,14,15. Nutritio per Mannam de cœlo *Cap.* VI,32. seqq. Promissio de Salomone, qui DEI filius futurus sit. *Ebr.*I,5. CHRISTUM ut Antitypum respexerint, benè de Scripturâ V.T. ubi ista narrantur, poterit dici, quod in hoc fuerint impleta, utut non expressè de illis ipsis utantur hâc phrasi Scriptores N. T. *2. Mysticè, in Antitypo.*

III. Arctissima est *unio & communio Christi cum Ecclesiâ* seu Populo suo, tanqvam Capitis cum Corpore ejusq; Membris I. *Cor.* XII,27. *Eph.*I,23. *cap.* IV, 12,16. *cap.* V, 30. Ob hunc unionem quædam sententiæ, quæ videntur loqui *de Corpore* ejusq; Membris, h. e. de Populo DEI, de Ecclesiâ, de hoc vel illo Pio, dicuntur etiam impletæ in *CHRISTO capite*. Sic *Matth.*II, 15. *Erat ibi* (in Ægypto) *usq; ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est à Do-* *3. per Capitus & Corporis mystici consortium.*

mino per Prophetam, Ex Ægypto vocavi Filium meum. Verba *Ose.* XI, 1. literaliter agere *de populo Israel*, qvem Deus dilexerit, tanqvam Filium suum, & ex Ægypto eduxerit, totus clamat Contextus. (Qvi literaliter de Christo intelligunt, ut præter *Euseb. lib. 9. Demonstr. Evang. 4. f. 578. Franc. Iunius* & *Rivetus comm. in Oseam*, ostendere conantur, textum violentis applicationibus corrumpunt, reprehensiones in consolationes, narrationes præteriti in promissiones rei futuræ transmutant, ait *Scultetus*, Fidei ipsorum socius, *lib. 1. Exerc. Evang.* cap. 60. p. 353.) Et tamen rectè etiam dicuntur *impleta in CHRISTO* Ecclesiæ ac Populi istius Capite, qui potiori præ Israël ratione ac Modo *Dei Filius* & *à Deo Dilectus* fuit *eductus ex Ægypto*. Quidam non inconcinnè hunc locum explicant per convenientiam *Typi* & *Antitypi*; quâ ratione ad præcedentem *Secundum* modum impletionis pertinebit. *Quia eductio ex Ægypto figura fuit Redemtionis à peccato & morte æternâ, ideò per illud desertum puer Iesus in infantiâ peregrinatus est, per quod filij Israël ex Ægypto educti sunt in terram promissionis. Cumq; nostro loco legem subiturus esset, transiit loca illa, ubi Lex in Sinâ lata, ubi serpens in deserto exaltatus, ubi primum Pascha mactatum, & sangvine ejus postes aspersi fuerunt contra Angelum vastatorem*, sunt verba incomparabilis *D. Chemnitij Harm. Evang.* cap. 12. p. 250. qvi tamen verba Prophetæ loqventia de Membris ad Caput Christum applicata statuit. Hoc modo etiam nonnullæ sententiæ in Psalmis, quæ Davidem concernere videntur, in N. T. allegantur, ut impletæ in Christo. Conf. *Ioh.* XIII, 18, 19. cum *Ps.* XLI, 10. *Ioh.* XVI, 25. cum *Ps.* XXXV, 7, 19. *Act.* I, 16, 20. cum *Ps.* CIX 8. (De Chrsto tamen rectiùs literaliter verba Psalmorum intelligi statuit celeberr. *Dn. D. Gerh. Harm. Evang. cap. 170. p. 1457.* & *cap. 178. p. 936. seq.*) Vicissim, quæ *Psal.* II, 1. extra controversiam dicta sunt de conatibus Hostium adversus CHRISTUM *Act.* IV. ostenduntur impleta (utut ipsa vox impletionis ibi non usurpetur) non tantùm quando Herodes & Pontius Pilatus contra personam ejus convenerunt, v. 27, 28. sed etiam, quando adversus Apostolos, Evangelii de CHRISTO præcones, meditati sunt proceres Hierosolymitani hostilia, in carcerem eos conjecerunt, & cum minis dimiserunt. Conf. v. 29. cum v. 2, 3, 15, 17, 21. Qvi enim Ecclesiam & Pios, ille etiam CHRISTUM, hujus Corporis & Membrorum Caput perseqvitur. *Luc.* X, 16. *Act.* IX, 1, 15.

Col.

Col. I, 24. *Postquam ex initio Psalmi persecutionem narrârunt, nunc precantur, ut, sicut Persecutio impleta est, ita DEUS, quod in Psalmo sequitur de irrisione, subsannatione & perturbatione eorum, qui Christum persequuntur, item de profectu Regni* CHRISTI *compleat,* sunt verba *Brentij Hom.* 19. *in Act. Apost.* f. 43. 1. Adde II. *Cor.* VI, 2. ex *Esa.* XLIX, 8.

IV. Uti aliàs qvædam Verba, qvæ *Fieri, Esse,* vel *Agere* quid significant, qvandoq; non tàm *Essentiam* vel *Actum*, qvàm ejusdem *Notificationem* significant, prout *Dn. D. Glass. Gramm. sacr. lib.* 3. *tract.* 3. *can.* 25. *p.* 250. plurimis Exemplis probavit: Ita etiam *Scriptura dicitur impleri, & quando inibi dictum reipsâ* Fit, & *quando illud* Factum *fuisse* innotescit, *atq; per exteriora documenta manifestatur.* **4. per distinctum Facti Indicium.** Illustre hujus Modi Exemplum habetur in allegatione Scripturæ *Gen.* XV, 6. *credidit Abraham DEO, & imputatum est ei ad justitiam.* Qvod hoc modo Abraham fuerit justificatus, qvando adhuc incircumcisus credidit DEO promittenti semen, liqvidò patet tùm ex textu Mosaico allegato, tùm ex interpretatione Apostolicâ *Rom.* IV, 9, 10, 18, 23. Ex adverso *Iac.* II, 21, 23. asseritur illa Scriptura impleta, qvando Abraham filium suum obtulit super Altare. **Iac. II, 21, 23.** Ast hæc filii oblatio longè post susceptam Circumcisionem, & vel XXX. annis insecuta est acceptam à DEO promissionem, cujus per fidem receptio ipsi tunc ad justitiam imputata scribitur Gen. XV. qvando Isaac non tantùm nondum oblatus, sed nec natus, aut nativitas ejus promissa erat. Ad eadem Scripturæ verba provocat S. Jacobus, ut probet, qvod Abraham ex Operibus justificatus sit, qvibus S. Paulus utitur ad obtinendũ, qvod Abraham non ex Operibus, sed ex fide justificatus sit. *Rom.* IV, 2. 5, 9-13. Pro tollendâ hâc *ἐναντιοφανείᾳ distingvendum* est inter justificationem Abrahæ *Factam* & *Manifestatam.* De *illâ* S. Paulus loqvitur; de *hâc* S. Jacobus. Justitia ipsi *imputata* est, quando credidit; *Manifestata* autem, qvando per Bona Opera, inter quæ Oblatio Filii eminebat, Fidem suam veram esse coram Hominibus ostendit. Liqvet hæc interpretatio ex contextu S. Jacobi, qui vult ostendere, qvod nuda Fidei professio aut jactantia non possit salvare, adeoq; etiam non justificare, v. 14 17. sed qvod veritas Fidei salvificæ ostendenda sit etiam Hominibus per Opera v. 18. Sicut igitur exemplo Dæmonum v. 19. evincit, Fidem veram atq; integram absq; Operibus non posse hominibus ostendi

seu

ſeu demonſtrari, ita è contrariò v. 21. ſeqq. exemplum Abrahami allegat, quod fidem ſuam oſtenderit per Opera, quorum præcipuum fuit Filii oblatio *Ebr.* XI, 17. Hic ut ex Operibus veritatem ſuæ Fidei juſtificæ, ita etiam ſuam acceptam juſtificationem oſtendit. Ex dictis patet, quod v. 23. itidem debeat intelligi de *Manifeſtatione*, quod fuerit in ipſo *impleta Scriptura*: Credidit Abraham DEO, & imputatum eſt ei ad juſtitiam. Veritatem hujus interpretationis tùm aliis inſuper modis, tùm ipsâ Pontificiorum faſſione probat Theologus præclariſſimus *D. Hulſem. Harm. Apoſt. num,* 93. p. 77. & n. 155. p. 153, Scilicet Scriptura tunc maximè dicitur Impleta, quando Complementum ejus per inſignem & evidentem quendam eventum plurimis innoteſcit, aut eventus ille ſic comparatus eſt, ut ex eo ſaltem innoteſcere poſ-

Act. XIII. 32, 33. ſit Dicti ſenſus & Veritas. *Act.* XIII, 32, 33. *Nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc* DEUS adimplevit *filiis noſtris*, *reſuſcitans* IESUM, *ſicut in Pſalmo ſecundo* ſcriptum eſt, *Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Sive Ἀναστάσεως Ἰησοῦ intelligatur *de Suſcitatione ex mortuis*, ſive, ob collationem v. 22, 23. de excitatione & *Miſſione Filij*, ut eſſet Salvator, certè non fuit tunc primùm ita impleta Scriptura Pſalmi II. ut gigneretur, ſed *manifeſtatum* eſt, qvod ab æterno fuerit genitus DEI Filius. *Filiatio* eſt ab æterno, qvando nulla adhuc extitit Scriptura: Ejus autem *Manifeſtatio* facta eſt tempore Incarnationis *Luc.* I, 32, 35. Miniſterii *Iohan.* I, 14. Paſſionis *Luc.* XXII, 70, 71. Mortis, *Matth.* XXVII, 54. Reſurrectionis *Rom.* I, 4. Aſcenſionis *Ioh.* III, 13, 16. ſubſecutæ Prædicationis Evangelii *Rom.* I, 4, 5.

5. per impletum ſæpiùs Generale Effatum.

V. Quando Scriptura *generale* qvoddam *documentum* ponit, illud rectè *toties impleri dicitur*, *quoties & in quibuscunq; illud fit.* Exempla videantur in collatione *Matth.* XIII, 14. *Ioh.* XII, 38, 41. *Act.* XXVIII, 25, 26, 27, 28. *Rom.* XI, 3. cum *Eſa.* VI, 9, 10. *Matth.* XV, 7, 8. cum *Eſa.* XXIX, 13. *Ioh.* XIX, 37. *Apoc.* I, 7. cum *Zach.* XII, 10. *Act.* I, 16, 20. cum *Pſalm.* LXIX, 25. & CIX, 8. *Rom.* IX, 29. cum *Eſa.* I. 9. *Rom.* XI, 9, 10. cum *Pſalm.* LXIX, 22, 23. I. *Corinth.* I, 19. cum *Eſa.* XXIX, 14.

6. per ſimile aliquod Factum.

VI. Dicitur etiam *Scriptura impleri per Simile aliquod Factum*, quod cognationem habet cum re præteritâ, quæ in citato Scripturæ loco deſcribitur. Huc refertur à CL. Theologis, *Chemnitio*

Harm.

Harm. Evang. cap. 12. *p.* 250. *D. Mülleri Judaismi lib.* 3. *cap.* 3. *p.* 1337. *seqq.* & aliis locus *Ierem* XXXI, 15. allegatus *Matth.* II, 18. Qvamvis alii Prophetæ vaticinium literaliter agere existiment de cæde Infantum Bethlemiticorum & in viciniâ, non autem de luctu super abductione X. Tribuum in Assyriam, vel etiam tribuum Juda & Benjamin in Babel, siquidem v. 1. cum cap. præced. *v. ult.* collatus ostendat prænunciata ibi etiam fuisse, qvæ eventura in Novissimis. Alia Exempla adducuntur ex *Matth.* XXI, 14. *Marc* XI, 17. *Ierem.* VII, 11. *Matth.* XIII, 35. *Psalm.* LXXVIII, 2. II. *Cor.* VIII, 14, 15. *Exod.* XVI, 18. II. *Cor.* XIV, 21, 22. *Esa.* XXVIII, 11. Collatio Exemplorum sub hoc & proximè præcedenti modo impletionis allegatorum ostendet, qvod *utraq; ad unam Classem* facilè reduci possint, sc. ad iteratam alicujus Generalis assertionis impletionem, fundatam *sive* in imitatione alicujus facti, *sive* in immotâ DEI sententiâ, semper benignâ erga Pios, semper aversâ ab impiis, ita ut, qvocunq; tempore vivant, omnibus Piis gratiosus sit, reprehendat verò ac puniat omnes, qvi priorum improborum peccata æmulantur.

VII. Cum probatum sit *Hypothesi Septimâ*, qvod sub Scripturæ ambitu non solum intelligenda veniant expresè dicta, sed etiam implicita *Consectaria*, per bonam consequentiam inde eruenda, hinc eadem qvoq; dicitur *impleri*, non tantùm qvando illud fit, qvod expresè dicitur, sed etiam, *quando unum consectariorum inibi latentium evenit.* Huc pertinet locus *Matth.* II, 23. *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas,* Qvoniam Nazaræus vocabitur. Videantur, qvæ de eodem superiùs dicta sunt in consideratione Sent. Qvintæ. De *Matth.* VIII, 17. jam aliqvid monitum est sub dictâ Hypothesi Septimâ. Qvod Esaias proximè loqvatur *de Portatione Peccatorum* nostrorum, qvæ CHRISTUS in se recepit, *tùm* ex clarâ assertione v. 11, 12. tùm ex propriâ significatione vocis סבל in se recepta bajulare *Gen.* XLIX, 15. *Eccl.* XII, 5. *Esa.* XLVI, 4. tùm ex antecedenti, qvod est conjectio super eum & pœnæ v. 5. & culpæ v. 6. tùm ex modo portandi, sc. ut vulneraretur & attereretur, v. 5, 6 moreretur v. 8. laboraret anima ejus v. 11. tùm ex interpretatione Apostolica I. *Pet.* II, 24. indubitatum est. Cùm verò etiam *Corporis infirmitates* originem debeant Peccato, & ejusdem sint qs. pedisseqvæ, seqvitur, qvod earum

7. per Impletum Consectarium.

Matt. II, 23

Cap. VIII. 17.

qvoq; maledictionem Sibi imputatam pertulerit CHRISTUS, in quem omnia hominum peccata cum Omnibus inde promeritis pœnis conjecta sunt. Ut igitur hoc ipsum doceret, potissimum qvidem in diebus carnis de Animabus per Remissionem Peccatorum sanandis fuit solicitus: Sed tamen multorum ægrotantium Corpora etiam sanavit, non tantùm Morbi maledictione, sed & inhæsione sublatâ. Videatur *Matth* IX,2,6,8. *Luc.* IV,18, 21,35. *Act.* X,36,38. *Chrysost. Hom. XXVIII. in Matth. f.* 262. *Dicitur ab Esaiâ prædictum fuisse:* Qvoniam infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portavit. *Non dixit*, Dissolvit, *sed* Accepit *atq;* Portavit: *quod de Peccatis potiùs mihi dictum à Prophetâ videtur, ut cum Iohanne conveniat dicente:* Ecce Agnus DEI, qui tollit Peccata mundi. *Cur ergo, inquis, de Morbis aut ægrotationibus id dictum Evangelista in h. l. scripsit? Certè aut Historicè testimonium Prophetæ accepit, aut subaperire voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam si Mors, quæ Morborum omnium fons est, à radicibus peccati pullulavit, quid mirum est si Ægrotationes quoq; multæ inde nascantur, unde vel ipsa ægrotandi potestas egressa est.* Etiam hîc Chrysostomi interpretationem brevissimis indicat Epitomator ejus *Theophyl. enarr. in h. l.*

Nona: Vaticinia de Ecclesiâ N. T. fiunt etiam sub mentione Jerusalem & Iudææ.

Hypothesis Nona.

Prophetæ multoties vaticinantur de statu Ecclesiæ N. T. sub prædictione felicitatis obventuræ Jerusalem & vicinis locis; qvum & Jerusalem & Judæa istius fuerit Typus ac Figura.

Cùm hæc omnia in vulgus nota sint, exempla aut probationes allegare supervacaneum est. Occurrit hujusmodi prædictio etiam *Ierem* XXXI,38,39,40. inferiùs alleganda.

Decima: Interdum etiam ῥητὸν Vaticinii alicujus figuratè propositi impletur.

Hypothesis Decima.

Nonnulla Phrasibus figuratis in Scripturâ V. T. prædicta aut præfigurata in Novo aliquâ ex parte animadvertuntur impleta etiam in proprio istorum Verborum sensu. Breviùs: *Aliquando non*

do non tantùm διάνοια, sed etiam ῥητὸν alicujus phraseos figuratè conceptæ impletum legitur.

Exemplo sit *Esa.* LX, 6.7 ubi conversio Gentium ad Messiam figuratè legitur descripta sub itinere in Camelis & Dromedariis, sub adductione Pecorum ad Sacrificia. Et tamen in Magis, Gentium ad CHRISTUM conversarum in N.T primitiis, qvoad proprium sensum etiam fuit impleta ista oblatio Auri ac Thuris *Matth.* II, 11. Conf. *Psalm.* LXXII, 10. Qvod non tantùm convenientia sit Scripturæ de Israelitarum & CHRISTI ex Ægypto reditu, indicatum est ad *Hypoth. VIII. Num.* 3. ex *Matth.* II, 15. sed etiam, qvod istorum Eductio fuerit Figura liberationis per CHRISTUM à Peccato, potestate Diaboli & mortis, & tamen etiam coincidit ipsa itineris ac locorum ratio, qvod CHRISTUS per illud ipsum desertum, per qvod Israëlitæ in terram promissionis ducti, iter susceperit ac loca ubi his Lex lata, ubi Serpens æneus in Mortis antidotum erectus fuerat, transierit. *Usus* Hypotheseos hujus apparebit etiam in explicatione textus *Ierem.* XXXI. *Cap. seq. Sect.* IV. proponendâ.

CAP. IV.

Postremæ Interpretationis explicatio & Confirmatio.

CAP. IV. *Postremæ Interpretationis assertio.*

Cùm superiùs indicatum sit, maximè probabilem videri Interpretationem, qvod S. Matthæus & *Zachariæ* locum adduxerit, & simul in citatione ad *Cap.* XIX. atq; XXXI. *Ieremiæ* respexerit, ad ejus explicationem atq; probationem superest jam specialior consideratio *tùm* textûs Evangelistæ, *tùm* utriusq; Prophetæ.

Sectio I.

De Textu Evangelistæ. *Matth.* XXVII. 1-11.

Sect. I. TEXTUS *Matth.* XXVII. I, II.

Qvia S. Matthæus historicam suam Narrationem præmissam ex Propheticâ Scripturâ deinde confirmat, ideò proficuum erit, istius textûs Analysin cum qvibusdam notis proponere, ut tanto faciliùs qveat postmodum ostendi, ad qvæ membra descriptionis pertineant allegata Prophetarum scripta.

De 1. Prodito CHRISTO, Hostile Consilium, & Factum.

2. Proditore Judâ,

(1) Historica narratio, de ejus Pœnitentiâ,

Proditus erat CHRISTUS: Proditor *Iudas.* Circa *Proditum* narratur Hostile *tùm* Consilium v. 1. cujus Tempus (*Manè facto*) Autorum & Copia (*Consilium iniérunt Omnes*) & Eminentia in statu partim Ecclesiastico, (*Principes Sacerdotum*) partim Politico (*& seniores Populi*) item Scopus Personalis, (*adversus Iesum*) Realis, (*ut eum morti traderent.*) *Tùm* Factum v. 7. in Vinciendo, (*& ligantes ipsum, δήσαντες αὐτὸν*) & Ducendo respectu termini A'quo, (*Abduxérunt*, sc. à suo Synedrio) Ad qvem, (*Tradiderunt eum Pontio Pilato Præsidi*, sc. Rom. imperatoris Vicario & Ethnico.) Seqvitur *de Proditore* Judâ Historiæ Narratio v. 3-9. & Prophetarum allegatio v 9. 10. *In Historicâ narratione* agitur de Judæ *pœnitentiá* v. 3. 4. & *pecuniâ.* v. 5. 8. *Pœnitentiæ* 1. causa προκαταρκτικὴ fuit CHRISTI condemnatio, (*Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset*, sc. ad mortem v. 1. *pœnitentiâ ductus*) 2. Signum Reale, oblatio accepti pretii proditorii, ad paciscentes, pro pacto nefario rescindendo. (*Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus,*) Verbale autem fuit Confessio Culpæ tùm Generalis (*Dicens, Peccavi*) *tùm* Specialis, indicans culpæ Actum, (*Tradens.* Sic v. 3.) & Objectum, (*Sangvinem justum.* Ita habet Vulg. sicut & Regius Codex legit δίκαιον, qvod v. 24. in omnibus legitur. Reliqvi autem habent *ἀθῷον, insontem*, innocentem, h. e. qvi de jure nulli pœnæ est obnoxius. *Sangvis* autem accipitur pro homine occidendo vel occiso, qvia istius cædes plerunq; fit Sangvinis effusione. Sic v. 6. 8) 3. Eventus fuit Desperatio, cujus (1) causa adjuvans censenda est responsio Procerum Judaicorum, se eximentium, (*At illi dixerunt, quid ad nos?*) & ipsum absq; solatio rejicientium (*Tu videris.*) (2) Conseqvens, *tùm* respectu pretii propter qvod scelus patravit, in desperationem ultimò desinens. Hujus ex abominatione abjecti Modus, (Et *projectis argenteis*; scil. cum disruptione, qvod ῥίπτειν propriè notat, ut ex indignatione atq; fremitu, cum Pontifices & Seniores illud ad se recipere nollent, marsupium disruperit, adeoq; argenteos in terram disjecerit) & Locus (*in Templo,*) *Tùm* etiam respectu sui ipsius, secutus est abitus (*Recessit & abiens, &c.* Ἀνεχώρησε, secessit in locum solitarium, ex desperatione fugiens hominum consortia, atq; ne in proposito αὐτοχειρίας impediretur) & tandem miser

interi-

interitus, (*Laqveo se suspendit,* ἀπήγξατο, strangulatus est.) Seqvitur de Judæ *Pecuniâ*, quam post se reliqvit, quomodo fuerit 1. Accepta, (*Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis*, &c. Qvi à Judâ illos recipere noluerunt, ne viderentur ad dimisſionem CHRISTI per pacti reſciſſionem teneri, in Templum projectos receperunt, ſecedente ac ſe ſuſpendente eorum Poſſeſſore.) 2. Impenſa, v. 6, 7, 8. Indicatur hoc (1.) Negativè, ubi *tùm* ipſa Negatio (*dixerunt*, *Non licet eos mittere in Corbonam*,)*tùm* Negationis Ratio, (*quia pretium ſangvinis est*, h. e. hominis ad necem traditi, ut v. 4. nominatur ἡ τιμὴ τοῦ τετιμημένου. v. 9) (2.) Aſſertivè, ubi Antecedens Conſilium, (*Conſilio autem inito*) ipſum Factum, ſc. Emtio, cujus cauſa Efficiens fuêrunt Principes ſacerdotum, (*Emérunt*) Inſtrumentum, XXX Argentei, (*ex illis*) Objectum, Ager (*agrum figuli*. Dictus eſt Figuli, ratione *poſſesſionis*, qvia ad talem pertinuit. Veriſimile eſt, qvod etiam ratione *uſus* ad figulina opera, hoc nomen geſſerit, ſed argillâ aut limô jam omni exhauſtô inutilis redditus fuerit, adeoq, vili pretio licuerit.) Finis, (*in ſepulturam peregrinis*, ſc. natione Ethnicis, ſed religione Judæis h. e. Proſelytis, vel ſolis etiam Religioſis. De merorum enim Ethnicorum ſepulturâ ipſos ſolicitos fuiſſe non eſt veriſimile, qvum Ethnicæ poteſtati tunc ſubjecti non potuerint illos cogere, ut in loco à ſe aſſignato mortuos ſuos ſepelirent. Nec Judæorum, utut peregrè alias habitantium, ſed propter Templum & Sacrificia ad Jeruſalem venientium ibiq; defunctorum funeribus locum, vel ſaltem in ſepulchreto plebejo, cujus II. *Reg.* XXIII, 6. *Jer.* XXVI, 23. mentio fit, eos invidiſſe credibile eſt. Cum verò ReligioſosGentiles, ututReligione conſentientes, tamen ob exoſam ex Gentibus nativitatem, & qvod ad Leviticarum ceremoniarum obſervationem ſe non adeo obſtringebant, quaſi immundos adhuc habitos ex *Act.* X, 1, 2, 14, 15, 18, 27. appareat, de peculiari iſtorum ſepulturâ fuêrunt ſoliciti. Forſan etiam locus horum ſepulchris antea deſtinatus, ſed jam ſatis repletus fuit, ut propterea alium coëmere neceſſarium judicaverint. Conſeqvens hujus emtionis eſt Agro impoſitum Nomen, cum indicatâ ejus Ratione & Duratione (*Quapropter vocatus est Ager ille Ager Sanguinis*, *usq; in hodiernum diem*. Qvod hoc Nomen non inditum ſit à Pontificibus, ſed aliis, quibus iſta hiſtoria innotuit, ex *Act.* I, 18, 19. colligitur.)

& Pecuniâ tùm Acceptâ

tùm Impensâ.

Qui Peregrini h. l. intelligendi.

(2) Prophetica allegatio.

tur.) Historicæ Narrationi subiungitur *Prophetica Allegatio, v. 9. 10.* ubi 1. Causa citationis, sc. animadversa eo tempore impletio (*Tunc impletum est*) & 2. ipsa citatio (1.) Scriptorum, unius quidem sub Nomine proprio, (*quod dictum est per Ieremiam,*) Alterius autem sc. Zachariæ sub Nomine Officii, (*per Prophetam dicentem, &c.* Vid. *Cap. præced. Hypoth. 3.* Ea enim qvæ subjunguntur, potissimum leguntur apud Zachariam) (2.) Scriptionis, in quâ refertur 1. factum de pecuniâ (1. acceptâ, ubi & indicatur, qvis acceperit, & qvid acceperit quoad Numerum ac Materiam s. Metallum, (*Et accepérunt Triginta argenteos.* Græcum ἔλαβον, & potest esse tertia pluralis, significans *Acceperunt*, & Prima singularis *Accepi*, qvomodo & Syrus vertit, & cum textu Zachariæ congruit, ut *sect. seq.* dicetur. (2. impensâ, sc. ad Usum geminum : Prior fuit Emtio Personæ, ubi Pretii in genere, & Emti, & Emtorum fit mentio (*Pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël,* τιμὴ propriè significat *Honorem*, à τίω Honoro; postea etiam *pretium*, quô aliqvid ut pretiosum æstimatur. Sic etiam τιμάω, ῶ, honoro, adeoq; in pretio habeo, magni æstimo. Qvando igitur in textu emphaticè repetitur τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο, magnitudo pretii & æstimii, quo CHRISTUS in istâ emptione æstimatus est, notatur, quamvis Ironicè, ut & res ipsa & textus Propheticus docet. Verba, *A Filiis Israel,* non inconcinnè conjunguntur cum voce *Appretiati*, ut sensus sit, *Appretiati à filiis Israel*, quomodo apud Zachariam dicitur : *Appretiatus sum ab eis.* Hoc modo verba ὃν ἐτιμήσαντο essent qvasi in parenthesi legenda. Alii combinant cū verbo *Acceperunt.* Aliis potiùs placet, statuere Ellipsin Articuli οἱ vel voculæ τινὲς & ἀπὸ accipere pro ἐξ, hoc sensu: *Quem æstimaverunt* Quidam, *vel*, Qui sunt *ex filiis Israel*, sc. populi Israelitici Proceres. Confer. *D Glass. Gramm. sacr. tract. 2. can. 2. pag. 162. seqq.* & *lib. 3. tract. 6. pag. 538.*) Alter pecuniæ usus fuit Emtio Fundi. Hic usus est descriptus mentione Emtorum (*Et dederunt*, Syrus legit, *Dedi*,) Pretii (*eos*, sc. XXX. Argenteos,) Fundi (*in agrum*) Venditoris (*Figuli*) Sequitur (2. facti mandatum (*sicut constituit mihi Dominus.*) Hæc Analysis Textus Evangelistæ ideo etiam in minutiores partes sic facta est, ut tantò faciliùs ex collatione cū textibus Propheticis animadverti possint varia membra, in quibus isti partim literaliter, partim typicè fuerunt impleti.

ἔλαβον.

τιμὴ quid.

A Filiis Israel.

Sectio

Sectio II.

De Textu Zach. XI, 12,13.

Sect. 2. Textus Zach. XI. de Pastorum 1. Ædificio. 2. Maleficio, tùm Priorū, resp. Gregis.

Post vaticinium de diruendo *Pastorum ædificio*, h.e. Jerusalem v.1.2.3. subjungitur *Maleficium Pastorum* in Ecclesia & Politia *tùm* Priorum v.4, 15. *tùm* Posteriorum v. 15, 18. *Priorum* recensetur multiplex *Peccatum* 1. respectu commissi *Gregis* v.4.5. Sævitia (*Pecus occisionis. Possessores earum interficiunt*, scil. per lethiferam doctrinam aut tyrannidem) Avaritia, (*vendunt illas*, sc. Oves,) Hypocrisis, (*Quisq; dicit, Benedictus Iehova, quod ditatus sum.*) Subjungitur *Pœna* etiam Gregi imminens, ob complacentiam in istis Pastoribus v.6, 2. respectu *Boni Pastoris* sc. CHRISTI, Hujus (1.) Actio, *tùm* Misericordiæ, in pascendo v.7. *tùm* Justitiæ, in Pastorum succisione, ob supinum sui contemptum. v.8 omissâ ulteriori pastione v.9. Baculi jucunditatis confractione, v.10, 11. (2.) Merces. Hîc itidem repræsentatur Judæorum *tùm* Culpa, in malitiosâ Datione commissa, v.12 per Redditionem verò exprobrata, v.13. tùm Pœna, v.14. Sequitur de *Posteriorum* Pastorum culpâ, typicè repræsentatâ, v.15 malitiosè perpetratâ v.16 cum insecuturâ pœnâ v.17.

& Boni Pastoris.

tùm Posteriorum.

Speciatim vers. 12, 13. Dramaticè indicatur Merces 1. Postulata.

Textus, qvem Matthæus potissimùm respexit, est v, 12, 13. ubi Dramaticè descripta est *Merces* 1. *Postulata* (1 à quibus: *Dixi ad eos.* Pronomen *Eos* respicit non propinquius Nomen, sc. Pauperes Pecorum, de quibus v. 11. (Hi enim Christum observabant, & verbum Domini in eo agnoscebant,) sed remotius, sc. Eos, quorum anima nauseavit in CHRISTO v.8. (2. Qvomodo. Alternativè scil. ut ipsorum judicio committeret, quid hâc in parte æquum aut iniquum sit. (*si bonum est in Oculis vestris, afferte mercedem meam, & si non, quiescite.*) 2. *Data* Hic notatur Pondus, (*Et appenderunt mercedem meam.* Solebat enim pretium more prisco appendi ad stateram II *Sam.* XVIII. 12. *Ier.* XXXII.9. &c.) Numerus (*Triginta*) Materia, seu Metallum (*Argenteos*) 3. *Repudiata* Ubi 1) DEI mandatum (*Et dixit Dominus ad me*) In hoc Mandato exprimitur *tùm* Opus (*Projice illos.* Ebr. *illum*, ut referatur ad שכר vers. præced. quod nomen significans Mercedē etiam Masculinè usurpatur *Eccl.* IV, 9. *Ezech.* XXIX, 18. &c. *tùm* Scopus, (*ad statuarium*; יוצר in genere significat quemcunq; Formatorem alicujus operis, E.g. fabrum ferrarium & lignarium. *Esa.* XLIV, 9. seqq. sæpiùs autem *de Figulo* usurpatur II. *Sam.* XVII, 27. I. *Chron.* IV, 23.

2. Data.

3. Repudiata.

Ierem.

Ierem. XVIII, 1,2,3,6,11. *cap.* XIX, 1,11. *Psalm* II,9. *Esa.* XXIX,16. XXX,14. XLI,25. *Thren.* IV,2. Aquila h.l. vertit πλάστην, Evangelista κεραμέα, *Figulum*, adeoq; á LXX. versione, qvæ χωνευτήριον habet, ob dissonantiam à textu Ebræo recedens.) 2.) Prophetæ Obseqvium, declaratum & Verbo & Facto. *Verbum* fuit Ironicum, qvod & indignitatem vilipendii, & indignationem adversus ingratissimos contemtores exponit. (*Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* אֶדֶר יְקָר *Magnificentia pretij*, qvæ apud Matthæum bene redditur τιμὴ *Honorabile pretium*, qvo appretiatus sum ab eis. Conf. *Sect. præced.* In *Facto* indicatur Opus, qvod attulerit (*Et tuli triginta argenteos*) atq; projecerit, (*& projeci illos*, Ebr. אֹתוֹ *illum*, ut referatur ad שָׂכָר sicut suprà) Locus (*in Domum DEI*, h. e. templum) Scopus (*ad* הַיּוֹצֵר *Figulum.*)

Convenit cũ Evangelistæ scriptione 1. quoad Rẽ, de Pastorum Maleficio, resp. Gregis

Pro clariùs intelligendo hoc textu Prophetico, ejusq; cum citatione Matthæi consensu, imprimis observandum, 1. quod *Cap. III. Hypoth.* 5. annotatum est, in eodem contineri *Visionem* qs. *in Dramate ostensam*, ubi *Propheta Comœdus diversarum Personarum* verba & actiones *partim* recensuerit, *partim* repræsentaverit. Conferatur deinde hoc Symbolicum Vaticinium cum Impletione, & accuratissima deprehendetur consonantia. Populus Judaicus tempore CHRISTI erat vexatus & dispersus, sicut Oves non habentes Pastorem *Matt.* IX,36. Nam Proceres Ecclesiastici ac Politici, qvi *Pastores* ejus se profitebantur, iisdem se maculabant Peccatis, qvibus Propheta ipsos v. 5. notaverat, sc. *crudelitate* in perdendo *Matth.* XXIII,15. & à salutaribus pascuis severè prohibendo, *Matth.* XXIII, 13. *Ioh.* IX, 22. it. *Avaritiâ. Matth.* XXIII, 14. *Luc.* XVI,14. *Hypocrisi*, in ipsis sæpissimè & deprehensâ, & reprehensâ, *Matth.* XXII,18,19. *cap.* XXIII, 5. seqq. &c. Etiam in ipsâ actione cum Judâ proditore, prout à S. Matthæo descripta est, animadvertitur ipsorum *crudelitas*, qvod CHRISTUM, cujus innoxium sangvinem ipse Proditor coram ipsis professus erat, condemnârunt ad mortem v. 3, Peccatorem autem desperationi propinqvum absq; ullo solatio reliqverunt. v. 5. *Avaritia* fuit, qvod non nisi Triginta argenteos pro CHRISTO prodendo dederunt, qvin & hos ipsos à Judâ projectos receperunt, v. 3. 5. *Hypocrisis* autem, qvod proditionem innoxii sangvinis nihil ad se

perti-

pretium Sangvinis v. 6. pro quo tamen effundendo omnibus viribus tunc laborabant. Qvomodo CHRISTUS se *Bonum Pastorem* Judæis exhibuerit, abundè testantur Evangelistæ, & in ipsâ Passionis ultimæ historiâ ad hujus considerationem manuducit tùm allegatio vaticinii Prophetici *Zach.* XIII, 7. *Matth.* XXVI, 31. tùm CHRISTI professio ib. v. 55. tùm ipsorum Hostium sarcasmus *cap.* XXVII, 41, 42, 43. Inprimis circa *pretium CHRISTI proditi*, ad qvod S. Matthæus directè ac proximè hunc locum Propheticum allegat, manifestus est consensus. Pretium appenderunt *Proceres Judæorum*, qvorum anima nauseavit in CHRISTO, adeò quidem, ut de eo tollendo omnem moverent lapidem, *cap.* XXVI, 3. *Datio* Mercedis fuit ipsorum arbitrio relicta. Ib. v. 15. 16. Convenit exactissimè Pretii *Ponderatio* (*Cap.* XXVI. 16. ἔστησαν. Est ea ipsa vox, qvâ LXX. in loco *Zachariæ* expressere שקל *appendere.* Nam verbum ἵστημι *Statuo*, etiam usurpatur de ponderatione. *Xenoph. Pæd.* 8. τὰ δὲ ἀριθμοῦντες καὶ μετροῦντες καὶ ἱστάντες πράγματα ἔχουσι. Hinc usitatissima pecuniæ Græcorum species στατὴρ, sicut שֶׁקֶל *Siclus à* שקל *ponderavit*, Στατικὴ *ponderum scientia.* Σταθμὸς *Pensum*, Σταθμίζειν *ponderare*, & apud Latinos usitata vox *Statera*) Convenit *Numerus* & *Materia*, sc. Triginta Argentei, *cap.* XXVI. 16. *cap.* XXVII. 3, 5, 6. *Indignitas Facti*, quæ & per Ironiam & Projectionem Pretii apud Prophetam exaggeratur, in eo sita est, quod Judæi, ii ipsi, apud quos CHRISTUS omnem curam Pastoralem impenderat, non tantùm nullam ipsi gratiam aut mercedem rependerunt, sed ei contra, cujus ope ad occidendum eum usi sunt, tradiderunt Mercedem, & qvidem vilissimam, scil. 30. Argenteos, qvibus Mancipium per bovem cornupetam occisum æstimabatur. *Exod.* XXI, 32. Hæc Merces Judæ data etiam dicitur *Merces CHRISTI*, & *Pretium Appretiati*: quia hoc ipso inito cum Judâ pacto testati sunt, qvanti eum ejusque Pastoralem curam æstimarent. Quoad *Mercedis* istius *repudiationem* cuncta quoq; congruunt, qvia Judas retulit 30. Argenteos, & qvidem iis ipsis, à quibus acceperat, sc. Principibus Sacerdotum & Senioribus v. 3. Cum hi non statim eos reciperent, ne viderentur pactum rescidisse, allatos cum impetu atq; indignatione projecit, & qvidem in Domum DEI seu Templum v. 5. qui postea Dati sunt Figulo sc. pro Agro emto v. 7.

& Boni Pastoris,

Nominatim de Mercedis

Datione,

Ponderatione,

Repudiatione.

2. quoad Verba. non obstante aliquâ Omissione,

Nec tantùm quoad *Rem* ipsam optimus est consensus Symbolicæ hujus Prophetiæ cum Historiâ per Evangelistam descriptâ, sed etiam quoad *Verba*, quæ à S. Matthæo allegantur. v. 9. 10 ut dicta per Prophetam. Ut hoc dilucidiùs appareat, omninò hic recolendum est, qvod *Cap. præced. Hypoth. 6.* de occurrente in hujusmodi citationibus aliqvâ *vel* Omissione, *vel* Adjectione, *vel* Mutatione, dictum atq; diductum est. Nam & hîc occurrit (1.) *Omißio* verborum Propheticorum de postulatâ & appensâ mercede, it: de projectione ejus in Domum Domini tùm mandatâ tùm factâ: Quia pauca allegata fuerunt instar digiti ad fontem, ubi plenior habetur explicatio. (2.) *Adjectio* Finis, cur Argentei dati fuerint Figulo, sc. dederunt *in Agrum* s. pro Agro. Ideò autem hoc additum est ab Evangelistâ, ut & per Jeremiæ citationem, & per Agri mentionem (cujus Zacharias non meminit,) apud Jeremiam doceret inqvirere Scripturam de hujusmodi Agro, prout in Historiâ eum describit. Quod Zacharias implicitè dicit, *Projeci ad Figulum*, sc. ut darentur ipsi dicti argentei, id Evangelista exprimit, *Dederunt*. *Appretiatus* apud Evangelistam illustratur per superaddita verba *quem appretiaverunt*.

Adjectione,

Mutatione,

3. *Mutationum* distinctæ, quas suprà numeravimus, species itidem hîc occurrunt. Est quædam immutatio *Ordinis*, ut quod apud Prophetam præmittitur, *Dixit Dominus ad me*, apud Matthæum subjungatur: *Sicut constituit mihi Dominus*. Est Mutatio *Verborum* per *aliorum substitutionem*, qvando לַעֲלֵיהֶם *Ab eis*, redditur, *A Filiis Israel*. Quos enim intelligendos esse docet integer Prophetæ contextus, eos Evangelista expressè nominavit explicationis gratiâ & ad exaggerationem sceleris, quod ii ipsi, qui fuêrunt ex filiis Israêl, tàm atrocia in Messiam commiserint. Porrò pro *Appenderunt Argenteos*; ponitur *Appretiaverunt eum*: quia ista pecuniæ appensio ob CHRISTI appretiationem seu æstimationem facta est. Ad Mutationem Verborum *eorundem* per aliam flexionem referendum est, quando ἔλαβον vertitur in Plurali *Acceperunt*. Quando autem singulariter exponitur, convenit cum אֶקְחָה *Accepi*. Cum fermè omnes illud ἔλαβον pluraliter vertant, ob sequens verbum ἔδωκαν: (quamvis & hîc in singulari legat Syrus, & in Græco ἔδωκα legendum esse contendat Piscator in comm.) pulcra tamen harmonia

est

est cum Prophetâ. Quia enim refert, quæ Dramaticè egerit, ideò de se in Primâ Personâ locutus est: Et quia hoc ipso propriè non suas, sed aliorum plurium Actiones futuras repræsentavit, ideo istis completis ad sensum ac mentem Zachariæ dicitur, *Acceperunt*, *Dederunt*. Sic etiam Verbum Passivum Primæ personæ, *Appretiatus sum*, Evangelista expresſit per Participium & per Activum tertiæ Personæ, *Appretiatum, quem appretiaverunt*, sensu planè eôdem. *Ibi* per Exclamationem & Ironiam: *Hîc* nudè recensetur.

Sectio III.

De Textu Jerem. XIX.

Sect. 8. Textus Ierem. XIX. 1. Literalis Explicatio: Proponit Concionem (1) symbolicam, circa Lagenam tùm Integram; ubi Protasis.

Totius Capitis *Argumentum* est *Comminatorium* adversus Judæam & Judæos, potissimum verò Jerusalem, ejusq; incolas. *Partes duæ* possunt constitui. In *Priori* est Comminatio per *Emblema Parabolicum* proposita & exposita v. 1, 14. In Posteriori autem nudis ac claris Verbis prolata. v. 14. 15. *Prior* in Valle Hinnon coram Proceribus: *Altera* in Atrio Templi, coram Omni populo est pronunciata.

Emblema Parabolicum est Vasis apud Figulum emti in valle Benhinnon confractio, cui *duplex* addita est *Concio*. *Una* respicit Lagenam integram; *Altera* verò Confractam. *Quoad Priorem* ponitur 1. *Protasis*, continens DEI mandatum de *Itione tùm* ad Figulum v. 1. *tùm* ad Vallem v. 2. *Scopus* itionis ad Figulum fuit emtio vasculi testacei. (בַּקְבּוּק dicit Kimchi vas stricti orificii, quod bibente aut fundente homine sonet Bacbuc. Derivatur à בקק *evacuavit*. Vid. v. 7.) *Testes* ad hunc actum adsciti, de Senioribus Populi, & de Senioribus Sacerdotum, quos etiam circa ea, quæ in Valle gerenda ac dicenda essent, præsentes esse voluit DEUS. Conf. v. 10. *Vallis* istius, ad quam eundum erat, indicatur Nomen, desumptum à pristino possessore, (*Vallis Benhinnon*) & Situs ante Portam Figulorum (Ebr. ad verbum: *Quæ apertio portæ Figulinæ*, id est, ubi aperitur porta, quâ itur ad officinas figulorum. Cum in Ebr. sit הַחַרְסוּת quidam deducunt à חֶרֶס quod Solem significat, & explicant de Portâ Orientali seu ad ortum Solis sitâ. Sed contextus ostendit, eam intelligi, quâ itur ad vallem Hinnom. Hanc autem versus Meridiem sitam fuisse probatur ex

Jos. XV,8 *cap* XVIII,16. Vel igitur dicendum, qvod *Solaris* dicta sit, quia maximo Solis calori sc. meridiano exposita, vel cum aliis statuendum potiùs, esse permutationem literæ ס pro ש, quam etiam Pagninus in Lexico, & Buxtorf. in Concord. sub tit. חֶרֶס ad *Iob.* II, 8. notavit, adeoq; appellatio deducta est à Nomine חֶרֶשׂ *Testa* f. *Fictile*, quod hic etiam v. 1. habetur. Quia ante istam portam fuerunt officinæ Figulinæ, ideo Deus ipso indicati loci situ voluit Judæos commonere, quod cum iis acturus sit sicut Figulus cum luto, quod *cap. præced. XVIII.* per Emblema expositum docuerat.) Seqvitur 2. *Apodosis*, in quâ Concionis *tùm* Mandatum v. 2. *tùm* Tenor v. 3. 10. ubi, post *Exordium* ad excitandam Attentionem, subjungitur *Prophetia* de Malo, qvod passuri sint Judæi, *partim* in Valle istâ per Stragem, v. 3-7. *partim* in ipsâ Urbe Jerusalem per Excidium & antecessuram Famem tempore Obsidionis v. 9, 10. Malum *in Valle Benhinnon* obventurum describitur *priùs in Genere quoad* secuturum audientium pavorem. (*Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures ejus. v. 3.* Indicatur maximam futuram esse pœnam, non toleratu tantùm, sed vel auditu ipso horrendam, I. *Sam.* III. 11. II. *Reg.* XX, 12.) item *quoad* antecedentes hujus Mali causas sc. peccata in isto loco commissa, nominatim idololatriam (*Eò quod dereliquerint Me, & Alienum fecerint locum istum, & litaverunt, &c.* Alienaverunt hunc locum per abusum ad cultum Deorum Peregrinorum. *Exod* XX, 3. XXIII, 15. &c. imitati Gentiles, qui *Alieni* dicti sunt propter diversum à populo Dei ortum & cultum. *Deut.* XVII, 15. XXIX, 22. I. *Reg.* XI, 8.) Homicidium v. 4. (*repleverunt locum istum sangvine innocentum*, sc. Liberorum, qvi citra culpam suam ibidem immolabantur Molocho, *Cap.* VII, 31, *Psalm,* CVI, 37. II. *Chron.* XXVIII, 3. XXXIII, 6. Hos innocentes DEUS *Ezech.* XVI, 20. vocavit *Filios suos*, utpote per Circumcisionem spiritualiter regenitos) Extructionem Excelsorum Baaliticorum v. 5. Locus Parallelus est *cap.* VII, 31. *Post eà in specie* exponitur Malum Judæis ibi obventurum, sc. Bellica Clades, descripta *tùm* Appellatione, sc. Immutatione Nominis, ut pro *Tophet* ac *Valle filij Hinnom* appellandus sit *Vallis Occisionis, v. 6.* (*Tophet, vel à* תּוֹף Tympano dictum, quod tympanorum sonitu caveretur, ne liberorũ comburendorum ejulatus audirentur, *aut* qvod Choreas

& Apodosis.

Chóreas ad Tympani ſonum in iſto ſuo gentili feſto agitarent. Tale enim ad choreas uſitatum inſtrumentum ſonorum communiter iſta vox denotat *Exod.* XV. 20. *Iud* XI,34. I. *Sam* XVIII,6. *Iob.* XXI,11,12. *Eſa.* XXIV,8. XXX.32. *Ier.* XXXI,4. Conf *Pſalm.* LXVIII, 26. Alii habent pro Nomine Aucto, a rad. יָפָה *Pulcher fuit*, ut dicta fuerit *Amæna vallis* Hæc poſtmodum appellanda fuit Vallis Occiſionis, qvia multi ibi erant occidendi v.7. qvin etiam in urbe periturorum cadavera ibi ſepelienda v.11. Locus parallelus eſt *cap.* VII.32.) *Tùm* Enumeratione, qvomodo unum alteri ſucceſſurum ſit, ſcil. Evacuationi Conſilii ipſa Occiſio per Gladium, Occiſioni inſuper cadaverum inſepultorum conſumtio. Totius Pænæ *Cauſa Efficiens Principalis* DEUS, *Inſtrumentalis autem quoad* Occiſionem Hoſtes, *quoad* cadaverum conſumtionem Beſtiæ & Aves cœli nominantur. v.7. (Non eſt fruſtranea obſervatio *Corn. à Lap. in h. l.* quæ etiam in *Bibl. Belg Gloſſatis* extat, qvod de evacuatione conſilii uſurpatur verbum בקק unde Nomen בַּקְבּוּק Lagenula, qvod v. 1. uſurpatur, derivat Schindl. in Lexico. Sicut enim Vas illud, quod Propheta emerat, atq; in manibus geſtabat, omni potu erat vacuum, ſolum aërem capiens : ita minatus eſt DEUS, ſe evacuaturum omnia Judæorum pro ſuâ conſervatione conſilia, ut qvaſi in aërem evaneſcant. De tali Evacuatione Animi in conſiliis uſurpatur *Eſa* XIX,3. ſicut de Evacuatione Regionis aut Urbis per exicidium hominum, *Eſa.* XXIV, 1,3. *Ierem.* LI,2. *Nah.* II,3-11.) Malum *ſuper ipſam urbem Ieruſalem* venturum nunciatur, v. 8,9. Hujus magnitudo proponitur æſtimanda *tùm* ex Prætereuntium (v. 8) interno ſtupore, atq; externo Sibilo admirationis & ſubſannationis indice. *Thren.* II, 25. *Zeph.* II,15. *Iob.* XXVII,23. (Eſt eadem comminatio, qvæ v.16. Capitis præcedentis, qvod ratione Scopi cum cap. XIX. cohæret ac convenit. Sic ſtupor & ſibilus conjunguntur. I. *Reg.* IX,8. II. *Chron.* XXIX,8. *Ierem.* XXV,9,18. XLIX,17. L,13. LI,37 *Ezech.* XXI,36.) *tùm* ex incolarum actione, ſc devoratione carnis propriorum Liberorum & amicorum, ob famem ex hoſtili obſidione ſecuturam v.9. (Notatu digna eſt *Pænæ* v.7. 8, 9. deſcriptæ cum antegreſsâ *Culpâ* v.4.5. analogia. Peccârunt Judæi per imitationem cultus Peregrinorum, h. e Gentilium : Per hos ipſos etiam puniti ſunt. Ubi ſangvinem innocentem effuderunt, ibi

ipsorum Sangvis iterum effusus est. In qvâ valle occiderunt Liberos, ea facta est vallis Occisionis Parentum. Peccârunt crudeli immolatione Filiorum & Filiarum: Reducti postea sunt ad eas angustias, ut filios & filias pro cibo suo crudeliter mactarent. Dereliqverunt DEUM; ideo ab eodem derelicti sunt. Fecerunt suâ abominandâ immolatione, qvod DEO nunqvam in cor ascenderat: Fecit DEUS, ut nec in eorum cor postea ascenderet consilium, qvo internecionem evaderent.

tum Confractam; ubi Protasis & Apodosis. *Altera Emblematica Concio* respicit *Lagenam Confractam*, vers. 10, 11, 12, 13. Nam & hîc DEUS Prophetam docuit *tùm* Protasin v. 10. de Confractionis Actu, Loco & Testibus: *Tùm* Apodosin, in quâ 1. ipsi *actui* confractionis, ut neqveat redintegrari, comparatur totalis perditio urbis ac Populi. (Conf. *Esa.* XXX. 14.) 2. *Consequens* hujus Actus, sc. Projectio testarum in vallem Tophet, accommodatur ad Projectionem Cadaverum ibi sepeliendorum. (Conf. *cap.* VII. 32,) 3. *Loco*, ubi confractum est Vas, nempe Valli Tophet dicitur similis futura urbs Jerusalem, qvia & per ignem cremanda sit, qvomodo infantes ibidem cremati, & similis fætor ex multitudine hominum, fame ac gladio pereuntium in urbe, qvalis ibi ex immolatis abominandis sacrificiis, adeoq; par utrobiq; immundities futura. Qvod enim loca, ubi cadavera jacuerunt, immunda habita fuerint apud Judæos, notum est. 4. *Testes* hujus confractionis adhibiti Seniores Sacerdotum & Populi, (Vid. v. 1.) repræsentârunt universale futuræ pænæ Objectum, nempe *Domus Ierusalem*, h. e. Populi; *Domus Regum Iuda*, h. e. Procerum Politicorum; *Omnes Domos, ubi ad idolatriam Sacerdotum ministerio usi sunt.* v. 13. (ista Personarum puniendarum distributio adhuc clariùs proponitur in loco parallelo, *cap.* VIII. 1, 2, 3. Postqvam enim in fine *cap.* VIII. de Tophet appellandâ Valle Occisionis de futurâ ibi sepulturâ, de cadaveribus per bruta devorandis eadem dixerat, qvæ hîc v. 6. 7. 11. subjungit classes eorum, qvorum cadavera projicienda sint ob eundem hic qvoq; nominatum Astris exhibitum cultum idololatricum scil. *Regum* & *Principum*, h. e. Procerum Politicorum, *Sacerdotum* & *Prophetarum*, h. e. Ecclesiasticorum, & deniq; etiam promiscuè *Civium*, s. populi.)

(2.) Nudè propositam *Concionis posterioris*, qvæ claris ac *nudis verbis* proposita est, indicantur *Circumstantiæ*. 1. *Tempus*, nempe post reditum ex

To-

Tophet. 2. *Locus*, Atrium Templi. 3. *Objectum*, Omnis Populus, v. 14. Seqvitur ipsa Concionis *Summa*, in quâ 1. *Propositio* Prophetica & comminatoria de plurimis malis super Jerusalem atq; omnes ejus urbes venturis. 2. *Confirmatio* à DEI Veritate, qvia dixit, & ab ejus Justitia, vindicaturâ Judæorum pertinaciam atq; inobedientiam. v. 15.

Præmissâ observatione *in Cap. præced. Hypothesi Quartâ* propositâ, quod multæ in V. T. Historiæ etiam Typi ac Figuræ sint eorum, qvæ post CHRISTUM exhibitum futura erant, ad hujusmodi classem referimus etiam Historiam *Jer.* XIX. descriptam, qvæ simul fuit *Typus partialis* eorum, qvæ in emtione Agri pro sepulturâ Peregrinorum factâ Matthæus Cap. XXVII. enarravit. Partialis dico, ne qvis omnimodam & qvoad omnia membra similitudinem reqvirat. Ut enim haud rarò plus est in Antitypo, qvàm Typo: ita vicissim *aliquando plus est in Typo, quàm Antitypo*. Egregiè *Irenæus lib. 7. adv. hæreses cap. 40. n. 3. fol. 139. Typus & imago secundum materiam, & secundum substantiam aliquoties à veritate diversus est, secundum autem habitum & lineamentum debet servare similitudinem, & similiter ostendere per præsentia illa quæ non sunt præsentia.* His præmissis ad eruendam *Typi cum Antitypo convenientiam* ex visceribus utriusq; Textus nostra laborabit opera. *2. Typica Applicatio*

Deprehenditur utrobiq; *convenientia* *in convenientiâ*

I. *Personarum*. Narratur & à Jeremiâ & à Matthæo qvædam *Emtio*. Personæ circa eandem occupatæ fuerunt ex parte *Emtoris*, præter Prophetam, *Seniores* f. Proceres tùm Sacerdotum tùm Populi. Repræsentavit autem Propheta hujus Ordinis hominum *actionem*, qvomodo & ipsi in emendo occupati futuri essent. (Vide suprà *Hypothesin Quintam*.) Convenit Matthæi relatio *de Pontificibus & Senioribus Populi*, qvi post receptos argenteos de emtione consultârunt, eamq; effectui dederunt. v. 3, 7. *Ibi* consultabant Judæi de *occidendo Prophetâ*, *cap. præced.* XVIII. 18. Qvod istud consilium à Proceribus institutum fuerit, patet ex scopo Occidendi v. 23. cujus autoritas penes eos erat, non autem penes Vulgus. Quod eidem interfuerint etiam Primores Sacerdotum ac Legisperitorum, colligitur ex prætensâ causæ justitiâ, qvod non pereat Lex à Sacerdote, & consilium à Sapiente, & Verbum à Prophetâ. *Hic* expressè nominantur Summi Sacerdotes & Seniores, *(1) Personarum, sc. tùm Emtorum, occupatorum circa eadem.*

qvi

qui consultârunt *de occidendo* CHRISTO, Prophetæ sc. Antitypo. (Collationis istius typicæ quædam membra recenset *Corn. à Lap. Prolegom. in Ierem.* f. 566 qualia etiam apud *Orig. hom. 1. in Ierem. f.577.&Hieron.T.2.Comm.in Ier* f.495.seqq.) Crimen *Linguæ* (בַּלָּשׁוֹן h. e. propter *Linguam*, qvomodo ב aliquando accipitur) impingebatur *Ieremiæ*, quod contraria aliis Sacerdotibus, sapientibus & Prophetis, qvos veros esse falsò jactitabant, doceret, adeoq; seductor esset. (Conf. *cap.* VI, 13, VIII, 10, 11. XXIX, 21, 26. seqq.) Ita CHRISTO objectum fuit *crimen Linguæ* in Doctrinâ *Matth.* XXVII. 63. in Blasphemiâ XXVI. 65. in Detractione autoritatis Pontificalis, *Ioh.* XVIII, 23. Juxta communissimam particulæ ב significationem alii exponunt, quod Judæi *Linguâ*, sc. suâ, voluerint percutere Prophetam. Sic *Chald.* Falsa testimonia testificemur contra eum. *Theodoretus*: Texamus contra eum Calumniam. *Vatablus*: Deferamus eum apud Judicem, ut perdat eum. Omnia ista tempore ultimæ passionis effectui dederunt Proceres Judæorum, teste etiam S. Matthæo: Quæsiverunt enim contra ipsum falsa testimonia, & ipsi falsa testati sunt *cap.* XXVI. 59, 60, 61. Detulerunt eum apud Judicem Pilatū, ut occideretur *cap.* XXVII, 1, 2. Texuerunt contra eum Calumniam. Ib v. 12, 13. Conjungi possunt aliorum qvoq; Evangelistarum narrationes. Ibi Consultores pessimam Prophetæ pro impenso officio referebant gratiam, de qvâ conqveritur præced. *cap.* XVIII 20. Ita hi CHRISTO; qvia loco debitæ mercedis pro officio Pastorali non ipsi, sed Proditori, ut ad necem eum traderet, dederunt pecuniam, & qvidem exiguam, ut tantò clariùs testarentur ipsius apud se vilipendium, de qvo per Ironiam cum indignatione in personâ CHRISTI locutus est Zacharias, & in citatione simul meminit S. Matthæus v. 10. *Sect. II.* Ibi Seniores Sacerdotum & Populi non tantùm in

& Agrum. Emtione Vasis fuerunt præsentes, sed simul etiam *in Agrum* seu locum vallis, ubi vas istud confringebatur, exiverunt; ita ejusdem planè dignitatis homines etiam CHRISTI tempore occupati fuerunt *circa agrum* qvendam, v. 7. & probabile est, quod ante emtionem exeuntes viderint, an Sepulturæ ibidem commodus sit locus. Stolidum enim est, Agrum priùs emere, & postea demum exire ad videndum eum. *Luc.* XIV, 18. *Venditor* utrobiq;

tùm Venditoris. fuit *Figulus*, qvorum unus accepit pretium pro *Vase. Ierem.* XIX, 1.

alter

alter *pro Agro Matth.* XXVII.7 prout prædictum erat à Zachariâ, qvod dandum ſit figulo. *Cap.* XI, 13. Cùm locus, in qvo Jeremias teſtaceum vas confregit, fuerit extra Portam figulinam, adeoq; propè officinas figulinas, (ut paulò poſt indicabitur,) nihil abſurdi eſt, ſi exiſtimetur, iſtum Agrum fuiſſe eius ipſius Figuli, à qvo Lagenam emerat. Facilè enim potuit hoc fieri divino inſtinctu, ut tantò magis etiam hac in parte conveniret typus cum antitypo.

II. Rei, ſc. *Agri.* Qvum circa finem *Sect. præced.* oſtenſum ſit, plurima in controverſo loco Matthæi narrari, qvæ per Zachariam (cujus verba ex parte ab eo recitantur) prædicta ſunt, nihil autem ibidem habeatur de Agro, qvem Evangeliſta tamen repetitis articulis & nomine demonſtrativo, utpote tunc temporis celebrem & omnibus notum, *Act.* I, 19. (τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως v.7. Agrum illum Figuli, qvomodo Beza & Schmidius in Annot. reddiderunt, atq; ita omninò reddendum docuerunt, ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος. v. 8. εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως v. 9. Sic *Actor.* I, 19. τὸ χωρίον ἐκεῖνο) conſiderandum proponit, ex citato nominatim Jeremiâ ille ipſe quærendus. Deſcribitur apud Prophetam Agri ſeu Campi, in qvo vas Figulinum confractum eſt, *tùm* Situs *tùm* Nomen *tùm* Uſus. (2.) *Agri,*

(1. *Situs.* Ante *Portam Figulorum*, in valle Benhinnom v. 2. ubi Topheth. v. 6. 10. ſeqq. verſione vocis החרסית qvod *figulinum* ſ. teſtaceum notet, ac de Situ hujus portæ ad Auſtrum jam dictum eſt in analyſi textus Prophetici. Ratio Nominis vix alia poteſt commodior aut probabilior dari, quàm qvod prope eam habitaverint Figuli, (ſicut in Naucrate multi erant Figuli, à qvibus propinqva Porta vocabatur Ceramica. *V. Zwingl. Theatr. Vol.* 19. *lib.* 3. *f. m* 3238. *ex Athen. lib.* 9. *cap.* 9.) qvi extra civitatem plerunq; fornaces pro coqvendis vaſis habere ſolent, it. qvod fragmenta vaſorum fictilium extra eam projecta fuerint. Ita Rabbi Samuel, Lyra, Hugo, Corn. à Lap. & alii. Addit cum Lyrâ & aliis Franc. Junius qvod tractus ille fuerit argillaceus, adeoq; figulinæ accommodus. Huc etiam collimat textus, qvod Propheta ad vallem Benhinnon iturus qſ. in tranſitu apud Figulum emerit Lagenam, v. 1. 2. *Vallis Benhinnon* ita dicebatur à priſtino poſſeſſore, & urbi Jeruſalem erat *Auſtralis.*

quoad 1. Situm, Auſtralem, penes Figulorum fundos.

Jos. XV,8. XVIII,16. in hâc valle erat lucus,& in eo Excelsa s. sacella & altaria idololatrica. *Ierem.* VII,31. XIX,4,5. XXXII,35. II *Reg.* XXIII, 10. Hinc colligitur, eam latè fuisse extensam; Qvod *Ager* iste emtus pro Sangvinis CHRISTI pretio, *vel* ille ipse fuerit, in qvo Jeremias Lagenam confregit, *vel* tamen eidem vicinus, haud paucis probatur documentis. Nam 1. Unanimiter fatentur omnes qvod hic *Ager Sangvinis* fuerit situs *ad Australem partem* Civitatis *Hieron. T. I. lib. de locis Ebraicis ad Acta Apost. f.* 1440. Hodiè qvoq; demonstratur in Ælia ad Australem plagam montis Sion; & hactenus juxta Iudæorum consilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit. *Beda T. III. lib. de Locis sanctis*, c.4.f.49. *T.V. in Acta* f.920. *Baron. T.I. Ad. Ann.* XXXIV.n.17. ex Brochardo, Nicephoro, Bidenbachio, Saligniuro, *Adrichomius in descript. Ierusalem n.216. 173.* Qvaresmius Elucid. Terræ S. T. II. Lib.4.cap.18.f.39. *Corn. à Lap. in Matth. f. 557. Biblia Ernestina in Explic Tabulæ hujus urbis.n. 208. Gerhard. Harm. de Pass. cap.8.p.357. Ravanel. Biblioth Sacr. T.I.f.967.* & alii. Convenit igitur cum loco vasis à Propheta confracti, qvi extra Portam Australem in Valle itidem Australi Benhinnom fuit. Nec est, qvod exinde nimis generalem in situ convenientiam aliquis objiciat: Siqvidem ob præcipitium montis Zion nulla versus Meridiem alia fuit Urbis Porta, præter hanc ipsam & angiportum forsan subterraneum ex Regiâ arce, per qvem & Zedekias & postea milites in obsidione conati sunt effugere. II. *Reg.* XXV,4,5. *Ier.* XXXIX,4. LII,7. Cum igitur Angiportus iste non fuerit via publica, ubi ad officinas figulinas, adeoq, etiam ad vallem Benhinnon ire, aut etiam demortuorum peregrinorum corpora ad sepulturam efferre licuerit, conseqvens est, ut cum Adrichomio & aliis Urbis Ierusalem Topographis & Vallem Ben-Hinnom & Agrum Sangvinis statuamus sitos ante Portam fermè in extremitate lateris Australis ubi haud procul Orientale incipit, extructam. Huc referendum, quod *D. Chytr. Onomast. Theol. tit. Gehennom*, Vallem istam urbi vicinam ob amplitudinem versus Orientem ac Meridiem, *Biblia Ernestina d. l. n.280.* ad latus Meridionale, sed qvodammodo ad Orientale declivem. *Bunting. Itiner. S. Script. lib. 1. f. 58 59.* Vallem in lævâ Meridionalis plagæ, adeoq; propè Orientalem, Agrum autem Hakeldama prope istam Vallem statuat. 2. Ager iste à Matthæo

Probatur 1. ex concesso Agri Sangvinis situ in Valle Australi.

2. ex Appellatione Agri Figuli.

thæo *Ager Figuli* nominatur, non tantùm ratione *Possessoris*, ad qvem pertinuit, sed etiam ratione pristini *Usus*, qvia ibi fuerat terra apta ad faciendum vasa fictilia, ut benè advertit *Lyra & Fr. Iunius in h. l.* nec abnuit *B. Gerh.Harm. de Passione cap. 8. p. 356.* sicut qvilibet Opifices locum suo labori manuario idoneum, vel etiam ubi materia, qvâ utuntur, sufficit, eligere solent pro habitatione, e. g. Pistores plateam civitatis pani vendendo oportunam *Ierem.* XXXVII, 21. Periti in cædendis lignis Libanum, ubi cedrorum&abietum erat abundantia. I. *Reg.* IV, 6, 8, 9. Piscatores, Retiarii, Piscinarum fossores, ubi aqvæ piscibus fœcundæ, *Esa.* XIX, 8, 9, 10. *Ezech.* XLVII, 10. *Matth.* IV. seqq. Fullones campum aqvæ vicinum, pro commoditate lotionis & Solis radiis simul expositum, pro exsiccatione lotarum vestium; qvalis fuit Ager Piscinâ superiori irriguus, ad Meridiem urbis situs II. *Reg.* XVIII, 17. *Esa.* VII, 3. Coriarii itidem ad commodationem aqvæ in emendis aut ædificandis domibus respiciunt *Act.* IX, 6. ita Figuli communiter locum suburbanum, ubi non tantùm excoctoriæ fornaces securiùs incenduntur, sed simul, si terra fert, argilla atq; limus effoditur, Cùm igitur Argilla maximè amet loca declivia, & ex *Ier.* XIX. constet, qvod Officinæ Figulinæ vel prope vallem Ben Hinnom, vel in ea ipsâ, ut ad Figulum laborantem super rotâ descenderit Propheta *Ierem.* XVIII. fuerint extructæ (Assentientem habemus *Corn. à Lap. in Ier.* XVIII, 2.) & ab his Porta vicina nomẽ sortita sit, argillaceam ex parte terram fuisse conjicitur, cui accessit ex situ ad Meridiem commoditas pro exsiccandis ante coctionem fictilibus. Talem autem commoditatem etiam in reædificatâ urbe observatam, adeoq; Figulum, cujus Matthæus meminit, tali in loco habitâsse, ac pro materiâ opificii sui Agrum illum habuisse, nulla veri specie poterit negari. Si qvis enim censeat, Agrum frugibus aut pascuis aptum fuisse, qvem vendiderit, perpendat qvomodo pretium *XXX. Argenteorum* respondere possit vendito agro (1) per hypothesin assumtam, adeo fertili. (2) amplo, ut Peregrinorum maximo numero ad Jerusalem contendentium, si ibi morerentur, sepulturæ sufficeret, cujus medium duntaxat S. Helenam qvatuor muris longitudine 72. latitudine vero 50. pedum fecisse includi refert Adrichomius, (3) Non amplius in Jubilæo ad instar aliorum Agrorum juxta Legem *Lev.* XXV, 15, 27, 28. pristino possessori vel ejus hæredibus restituendo,

sed ad perpetuos sepulturæ usus destinato. Si igitur juxta annorum ad Jubilæum usq; vel majorem vel minorem numerum Agri ad usum fructum concessi majus aut minus erat pretium, *Lev.* XXV, 16. maximoperè illud fuisset auctum in perpetuâ abalienatione, si de Agro qvodam adhuc fertili contractus esset initus. Movit hæc ratio *Baronium ad An.* XXXIV. n. 17. 18. ut qvemlibet XXX. Argenteorum pro Librâ argenti acciperet; qvem tamen, præter alios, etiam celeberrimus *D. Gerhard. Harm. Evang. cap.* 168. p. 1181. & ex propriis Sociis *Svarez comm. in 3. Thom. Quæst.* 46. *art.* 8. *Disp.* 34. *Sect.* 1. *f.* 336. a. refutavit. Benè autem respondet exile istud proditionis pretium pro Agro, qvi effosâ jam omni argillâ & projectis in eum testis vasorum fictilium totus infæcundus atq; ad alios usus præter sepulturam ineptus erat factus. V. B. *Gerh. d. l.* Etiam Athenis erat Locus suburbanus, à Figulino appellatus Κέραμος, in qvo sepeliri solebant, qvi in Bello occubuissent. *V. Senert. Paralip. Exoter. p.* 215. 3. Ex *Collatione cap.* XVIII. & XIX. nova qvædam emergit probabilitas qvod & Ager iste, in quo Jeremias lagenam confregit, fuerit Figuli s. Figulinus. Cohærentiam enim & suprà qvadantenus attigimus & ulteriùs ostendit commune utriusq; Argumentum, scil. Comminatoria adversus Judæos concio sub *Emblemate*, qvod *à Figulo* desumi voluit Deus. *Cap.* XVIII. 2. seqq. *Cap.* XIX. 12. 10. 11. ita tamen, ut propter lamentabilem super pervicaci Judæorum malitiâ qverelam *Cap.* XVIII. tùm DEI v. 12-18. tùm Prophetæ v. 18. seqq. propositam, Capite XIX. crescat Oratio & Comminatio. *Cap.* XVIII. cum Figulo ejusq; actione monstratâ comparaverat suam tùm Potestatem & Libertatem agendi cum Judæis pro lubitu v. 5. 6. tùm Voluntatem erga Malos intractabiles, ut perdantur, sicut prius Vas, qvod formaverat Figulus v. 7. erga Pœnitentes autem mutet actionem ad benefaciendum, sicut Figulus priori vase corrupto illud suâ manu reparavit ad beneplacitum, v. 8. 9. 10. 11. Sed cùm ob extremum DEI & sui contemtum rogâsset Propheta, ut cum ipsis ageretur in furore, hanc ipsam, quoq; pœnam DEUS repræsentavit sub emblemate Figulino, sed tali, qvod gravissimũ atq; irreparabile exitium Judæorum iis ob oculos poneret; cui explicando magnoperè servit sententia, qvod ipse etiam locus, ubi vas confractum est, fuerit Figuli. Opponuntur Cap. XVIII. &

3. ex collatione Jerem. XVIII. & XIX.

& XIX. *diversæ actiones circa Figulum. Ibi* describitur Prophetæ ingressus: *Hic* Egressus. *Ibi* in Domum: *hic* in Campum s. Agrum v. 2. qvem itidem Figuli fuisse putamus. *Ibi* vidit Figulum: *Hic* emit vas à Figulo. *Vidit* laborantem: *Emit* Vas labore confectum. *Ibi* materia fuit tractabilis, sc. argilla adhuc mollis atq; uda; *Hic* autem indurata priùs in Sole, postea per coctionem in fornace. Ob materiam tractabilem Vas corruptum instauravit per aliam formationem opifex: Vas autem qvod deinde Propheta emit, semel confractum nulla humanâ industriâ potuit denuo formari. *Ibi* explicatio Emblematis ponitur, qvod sicut Figulus materiam adhuc tractabilem post primam corruptionem tamen reparavit; ita DEUS Judæos, utut per plurimam culpam & calamitatem corruptos, tamen nolit extremo tradere exitio, dummodo instar argillæ adhuc mollis paterentur se reformari ad pœnitentiam v. 5-12. *Hic* econtra interpretatio confracti Vasis est, qvod sicut post excoctionem in fornace confractum non potest instaurari, ita DEUS Populum Judæum contriturus sit, ut qs. in frusta comminuatur, neq; ullo humano auxiliô juvari possit. v. 10. 11. (ob induratam cervicem v. 16. cujus Conseqvens est Contritio instar Vasis testacei. Conf. *Prov.* XXIX, 1. ubi & idem verbum קָשָׁה induravit, qvod hic v. 15. & שָׁבַר confregit, qvod hic v. 10. 11. de Confractione Vasis testacei ad denotandam populi atq; Urbis confractionem usurpatur. Bene hujus Comminationis augmentum animadvertit *Chrysost. T. 5. Hom. ad Bapt. f. m. 733. Quando Propheta monstrabat, Judæos cum Civitate suppliciis extremis traditos, & nullum eis remedium promittebat, jussit accipi* Vas Fictile, *& ante omnem confringere populũ, & dicit: Quia ita Civitas peribit. Quandò autem spem eis pollicetur, Prophetam ad* Figuli Vas *adduxit, & illi non ostendit* Vas Fictile, *sed Argillam ei in manibus positam demonstrat Artificis, quæ etsi ceciderit, reformatur tamen. Ideo sequitur dicens: Si iste Figulus, ait, hoc Vas lapsum iterum renovat, non multò magis Ego vos potero lapsos corrigere?* Qvum verò etiam ante Confractionem lagenæ Propheta jussus sit concionari, & totus contextus ostendat, illam Concionem v. 3. 10. itidem fuisse Emblematicam, ostendat sufficientem atq; congruam ejus Protasin, qvi ab ipsius Loci conditione petitam vel negat vel negligit. Admitto eam, cujus suprà memini, de Evacuatione consilii v. 7. sicut vacua fuit empta Lagena: Sed an virtutem repræsentatæ comminationis plenè exprimat, judicet Lector.

Culpam ibi exaggeratam fuiſſe digitis monſtrato præſenti Valle BenHinnom & Tophet, ubi maximè abominandam commiſerat Populus idololatriam, loqvitur textus v.4. Cum autem Pæna non tantùm in iſta valle v.7. ſed etiam in ipſa urbe v.8.9. Judæos preſſura fuerit denunciata, *Emblema hujus prioris Concionis comminatoriæ* inqvirendum erit. Sicut in Alterâ Concione circa confractionem Vaſis Explicatio ſubjuncta eſt *tùm* Actus ipſius, qvod ita DEUS velit conterere Populum ac Urbem, *tùm* Diſperſionis teſtarum, cui projectio Cadaverum comparatur, *tùm* Loci, ubi confractum eſt, qvod ſc. ſecuturâ iſtâ contritione in iſta Valle cadavera ſepelienda, & ipſa Urbs æq; ac Topheth immunda futura ſit. v.11. Ita in priori Pænæ prædictione rationem *Loci* habitam & à Prophetâ expoſitam eſſe nō ampliùs videtur dubium. Fatentur nonnulli interpretes, qvod ipſe exitus per Portam Fictilem v. 7. fuerit monitorius de actione DEI cum Judæis, ſicut Figuli cum Luto aut Vaſe ſuo. Multò magis ad inſtitutum facit Locus ſpecialis, qvem non tranſiit duntaxat, ſed in qvo Propheta cum aſſumtis teſtibus ſubſtitit, ut in proprio itineris ac concionis loco per DEI mandatum expreſſo, ſc. in valle Hinnon, ubi non tantùm locum idololatriæ, ſed etiam Officinas Figulorum fuiſſe ex haud obſcuris indiciis ſuprà probatum eſt. Scilicet, ſicut aliàs *Scripturam Propheticam DEUS non tàm ſcribi quàm agi voluit*, adhibitis affectibus, geſtibus, locorum, perſonarum, &c. circumſtantiis (de qvo piè ac eruditè monet *D. Frantz. de Interp. Script. Orat. 13. p. 266. & Orat. 56. p. 340. ſeq.*) ita imprimis h.l. nt tantò efficaciùs qſ. omnia ob oculos poneret, DEI juſſu locum ſuæ Concioni accommodum elegit, ubi exertâ manu aut digito Judæi & commiſſam monſtraret culpam, & pænæ rationem. Ego mihi Emblematicam Concionem ita propoſitam imaginor, qvod Jeremias, poſtqvam Judæis propoſuerat atq; explicaverat Emblema Figuli inſtaurantis Vas corruptum, *Cap.* XVIII. & poſtea exprobraverat pertinacem malitiam, qvâ DEI erga ſe benignitatem intervertebant, Seniores Principum ac Sacerdotū, utut ſibi infenſiſſimos adſciverit teſtes ſuæ actionis & dictionis. His præſentibus poſt emptum à figulo vas inter eundum de Figulo & Portâ fictili ſumptâ occaſione indicavit, qvod ſpreto ab ipſis nupero Emblemate Figulino, indice divinæ benignitatis aliud nunc oſtenſurus ſit itidem Figulinum, ſed ſeveriſſimæ atq; irreparabilis pœnæ typum, Hinc medius conſiſtens in valle Hin-

Hypotyposis Concionantis Jeremiæ.

Hinnom inter Topheth atq; officinas vel Agros etiam Figulinos, facie primò ad urbem retroversâ Proceres ac Cives, ac si præsentes essent, alloqvens altâ voce clamavit: Audite verbum Domini, Reges Juda, & habitatores Jerusalem. Postmodùm manu dextrâ ad Topheth exertâ monstravit Locum, super qvem Deus inducturus sit Malum, ita ut cujusvis audientis aures superinde tinniant. (Forsan & hunc tinnitum, condylo digiti incurvati vacuam pulsans lagenam, qvam in manu habebat, repræsentavit.) Deinde facie magis ad Topheth reflexâ digitis ostendit hæc, illa, ista Ecclesia, Altaria ad suffitus, ad holocausta, hunc illumve locum effusi Sangvinis innocentis, qvæ omnia cum maximâ indignatione intuitus est & enarravit. Porrò vultu ab urbe rectà averso expansâ utrâq; manu non Topheth saltem, sed totius Vallis Benhinnom & confinii tractum ostendens vaticinatus est de clade, propter qvam universus iste Campus dicendus sit Vallis occisionis. Monstratâ Lagenâ vacuâ prædixit similem Evacuationem omnis consilii pro evadendo malo. Demonstratis circa Officinas atq; Agros figulinos testis de Vasibus vel ad Solem vel in fornace fractis aut vitiatis sub dio jacentibus prophetavit, qvod multi etiam ex Judæis ibi percutiendi atq; occidendi, ut corpora ipsorum instar testarum plurimarum ex fractis Vasibus residuarum sub dio jaceant. Cum II *Reg.* XXIII, 10. Josias dicatur polluisse Topheth in valle Benhinnom, forsan itidem per projectionem cadaverũ ex sepulchris idololatrarum effossorũ, qvomodo aliorum Excelsorum pollutio ibid. v. 13. 14. describitur per eqvorum mulorumq; cadavera aliasq; sordes eò projectas (*Schindl. Lex. Pentagl.* sub נצא f. 286. *Biblia Belg. Gloss. in* l. c. Conf. II. *Reg.* X, 22.) omnes autem interpretes consentiant, hanc prophetiam Jeremiæ aliqvot annis pòst dictam esse, hinc conjicitur, qvod insimul ostensis qvibusdam ossium ibi jacentium reliqviis & fætido qvodam fimeto prædixerit, pari modo plurimorum Iudæorum cadavera ibi prostrata fore, à brutis devoranda, & cùm ob copiam citò consumi omnia neqveant, putridum fætorem exhalatura, carne autem vel per bruta vel per putredinem consumtâ in loco isto residua mansura esse ossa, in præteritæ stragis monumentum. Hinc iterum vultu ac manu ad urbem conversis similem ex Obsidione ac Fame secuturam perditionem denunciavit. v. 8. 9. Cum verò nota Prophetæ esset Judæorum Fiducia in urbe munitissimâ, qvæ licet ali-

aliqvando occupata, denuo tamen ita reparata sit, ut vel planè non expugnari, vel pari modo instaurari, ac Populus in recepto suo cultu (utut maximè idololatrico) firmiter servari, possit, ideo hanc fiduciam atq; pertinaciam ipsis exprobravit, ostensâ priùs bene formatâ & ex coctione duritiem qvandam mentiente Lagenâ, qvam deinde opinione citiùs valido atq; sonoro ictu in plurimas confregit testas hinc inde dispersas. His ostensis cùm assumti Testes vel ad hoc etiam reqvisiti negarent, vel à se vel alio homine ex his Testis pristinum vas redintegrari posse, applicationem atq; explicationem, monstratis iterum & Testis & Urbe & Topheth, emphaticè addidit. v. 11. seqq.

2. Nomen 1.) quod impositũ, Pristinum,

2. *Nomen*. Hîc duo observanda sunt (1) *ipsum Nomen*: De *pristino* Nomine Loci, ubi Propheta figulinum vas confregit incertum qvidem est, an speciale fuerit in usu, à Possessoribus aut vicinis officinis Figulinis desumtum; sicut vicinus Ager ob similem causam Fullonis dictus est, II. *Reg*. XVIII, 17. Sed hoc saltem in confesso est, qvod *ad Vallem Benhinnon* pertinuerit, adeoq; sub generali hoc nomine simul comprehensus v. 2. 6. 10. Qvod autem Ager pro mercede proditoriâ Judæ emtus fuerit sub priori appellatione *Agri Figuli* eo tẽpore, qvo emebatur, notissimus, haud obscurè colligitur ex textu Evangelistæ v. 7. 10. *Adscitum* autem ex memorabili qvâdam historiâ Nomen, quod Jeremias prædixit, Matthæus factum recensuit, ex asse convenit. Prædixerat ille, qvod Campus iste appellandus sit *Vallis Occisionis*. v. 6, Hic agrum refert nominatum *Agrum Sangvinis*, sc. per Occisionem effusi, v. 8. Conf. v. 3. 4. 6. *Act*, I, 19. usitatissimum enim est, ut *Sangvis* notet *Cædem Gen*. XXXVII, 26. *Num*. XXXV, 33. *Deut*. XIX, 13. I. *Sam*. XXV, 26, 33. II. *Sam*. III, 27, 28 &c.

Adscitum

Græci Interpretes Nomen Loco imponendum in textu Jeremiæ reddiderunt πολυάνδριον τῆς ταφῆς. Πολυάνδριον ad verbum significat locum, ubi multi viri sunt, Ab Hesychio Adjectivè dicitur πολυάνδριος τάφος, & explicatur πολυχώρητος, qvi multos capit. Substantivè autem τὸ πολυάνδριον apud Suidam explicatur κενοτάφιον Sepulchrum, Monumentum, Locus Sepulturæ destinatus. Hujus significationis Exempla ex *Æliano & Nazianzeno* allegavit *Henr. Steph. Lex. Græc. T. I. f.* 437. b. qvæ imitatus *Lactantius Epit. div. Instit. p. m.* 754. locum ubi corpora mortuorum congerenda sint, πολυάνδριον vocandum dixit: Sic qvoq; LXX Interpretes

πολυάνδριον quid.

pretes Ebr. גֵּיא Vallis reddiderunt Πολυάνδριον, ut Nomen Vallis Hinnon, *Ierem.* II, 23. XIX, 2, 6. ubi sepulchretum occisorum dicitur futurum. v. II. it: ut Nomen Vallis, ubi Exercitus Gogi sepeliendus *Ezech.* XXXIX, 11, 15. *Hieron. T. II. comm. in Ier.* II. exponit *Sepulchrum multitudinis*, in Ezech. XXXIX. *Sepulchrum plurimæ multitudinis.* Dicitur juxta hunc ipsum Patrem Vallis Hinnom πολυάνδριον, qvia populus ibi corruit, & cæsa est hominum multitudo, vel spiritualiter in errore idololatriæ, vel juxta literam à Babylonio exercitu. Pro alterâ voce τῆς ταφῆς *Sepulturæ* Biblia Wecheliana Græca annotant, in quibusdam haberi τῆς σφαγῆς *Mactationis*, qvod convenit cum Ebr. הֲרֵגָה & consvetudine Græcorum interpretum, qvi aliàs semper הֲרֵגָה vertunt Σφαγὴν *Ier.* XII, 3. *Zach.* XI, 4 7. præter hunc locum, & in Parallelo prorsus *Ier.* VII, 32. ubi גֵּיא הַהֲרֵגָה redditur Φάραγξ τῶν ἀνῃρημένων, Barathrum, Præcipitium, (interdum etiam Vallis *Luc.* III, 5.) *Sublatorum ad sepeliendum.* Qvod enim ἀναιρεῖσθαι hanc significationem interdum habeat, *Hen. Steph. Lex.* T. I. f. 188. pluribus docuit, atq; eam innuisse dicto loco Græcum interpretem docet contextus, & verba seqventia, θάψουσιν ἐν τῷ ταφέθ. Respexerunt igitur hi Interpp. ad Consequens cædis, h. e. sepulturam, cui usui deputandus sit iste locus: Adeoq; hac ratione conveniunt cum Matthæo, qvi Agrum dicit comparatum εἰς ταφὴν v. 7. (2.) *Impositionis Ratio.* Apud Prophetam ratio Nominis dicitur desumenda ex Cæde Iudæorum per Hostes v. 7. Docet autem collatio cum v. 4. 5. qvod hâc etiam in parte *Pœna* respondere debuerit *Culpæ.* In istâ valle exercuerunt cultum Alienorum Deorum, qvem ab Alienis (prout Gentes resp. Iudæorum hinc inde nominantur) didicerant. Hinc Propheta ait, quod *alienaverint locum istum*, qvia dereliqverint DEUM, & adoleverint in eo Diis alienis, qvos non noverint ipsi & Patres eorum & Reges Iudæ v. 4. Qvos igitur habuerunt in culpâ duces, iis justo DEI judicio usus est DEUS ad puniendum, ut caderent in gladio coram inimicis suis, & in manu qværentium animas ipsorum, v. 7. Tales inimici erant Gentiles, nominatim Babylonii, *Alieni* & *Alienigenæ* dicti. Qvod Latina vox *Hostis* olim significaverit *Peregrinum*, qvi suis legibus uteretur, postea verò lenitate verbi mitigante rei

2.) cur impositum.

tristitiam, ita dici cæperit perduellis seu inimicus, post *Cic. l. 1. Offic.* & *Varronem lib* 4. notavit *Ambros. T. I. lib. 1. Offic. cap.* 29. f. 18. qvi addit Ebræos etiam adversarios suos appellasse *Alienigenas*: Exempla habentur II. *Sam.* XXII, 45, 46. *Esa.* I, 7. LXII, 8. *Ierem.* VI, 12. *Thren.* V, 2. *Ezech.* XI, 9. *Obad.* v. 11. Hi etiam *Ebr.* XI, 34. Ἀλλοτρίων nomine veniunt. Ratio appellationis generica est propter alienum planè & adversum animum, cui respectu Judæorum accessit insuper Specialis, ob diversum à Gentibus ortum, adoptionem atq; cultum. Antea Vallis Hinnom revera fuit *Vallis Occisionis*, *Ager Sangvinis*, qvia repleverunt locum istum Sangvine innocentum, h. e. liberorum, qvos Molocho sacrificaverant. v. 4. 5. Pro vindicandâ hâc cæde injustissimâ eodem in loco justissimè effusus fuit Sangvis talium hominum idololatricorum, & qvidem numerosâ cæde, ut exinde Vallis Occisionis mereretur dici. Ratio Nominis, cur Ager Figuli in Sepulturam à Judæis Proceribus emtus dictus sit *Ager Sangvinis* s. *Akeldama*, ex contextu S. Matthæi, & *Act.* I. 16, 18, 19. apparet. Scilicet hîc qvoq; Nomen ortum est ex commissâ *Culpâ effusi Sangvinis* CHRISTI. Cum enim Judas pro 30. argenteis spoponderit proditionem innocui Sangvinis CHRISTI *Matth.* XXVII, 3. qvi per mortem, ad qvam condemnatum eum videbat, jam effundendus erat, ib. ideo pactum illud proditionis pretium appellatur *Pretium Sangvinis*. v. 5. adeoq; etiam Ager isto pretio Emtus Ager Sangvinis v. 8. Patet exinde, qvod h. m. ratio vera Loci in Typo & Antitypo exactè conveniat. Ibi fuit *Vallis Occisionis* propter Sangvinem innocentem effusum (LXX. ἔπλησαν τὸν τόπον ἐκ τῶν αἱμάτων ἀθῴων) *Hîc* itidem *Ager Sangvinis* propter CHRISTI Sangvinem innocentem effusum; qvi iisdem planè verbis, qvibus LXX. ap. Prophetam utuntur, exprimitur, sc. per αἷμα ἀθῷον v. 5. Ibi Filii, qvorum Sangvis effusus est in sacrificium, fuêrunt *Filij DEI* & DEO generati, sc. per Circumcisionis Sacramentum, adeoq; adoptionis gratiam. Ideo super hoc scelere Judæorum conqveritur *Ezech.* XVI, 20, 21. *Immolasti Filios meos*. *Hîc* est Sangvinis *Filij DEI*, qvi talis est per naturam & æternam generationem, Conf. *Matth.* XXVI, 63, 64. cum *Cap.* XXVIII, 4. I. *Ioh.* I, 8. Sicut effusio Sangvinis innocentum liberorum olim in Judæis vindicata est cæde atq; effusione Sangvinis eorum, qvi hujusmodi flagitii vel actores vel approbatores fuêrunt *Ier.* XIX, 6, 7. ita hîc sangvis Filii DEI innocens à Judâ

Respectu Culpæ,

& Pœnæ.

à Judâ traditus, à Judæis autem ad effundendum postulatus, qvoad reatum pœnæ venit super Judæos, prout malitiose in se receperant *Matth.* XXVII, 24, 25. & super Judam per proditorium pactum effusionis hujus adjutorem, ut reus violentâ morte moreretur, qvi ad occidendum innocentem condixerat suam operam, v. 4. 5. Ex hoc etiam Judæ interitu, adeoq; *ex Pœnâ* commissam culpam insecutâ factum esse, ut *Ager Sangvinis* diceretur, qvi antea Figuli, statuunt nonnulli Interpretes: Et qvidem *vel* duntaxat ob violentam mortem, quâ periit, qvi pretium procuratæ alterius cædis retulerat, qvod in agri istius emtionem postea impensum est, ut statuit Arias Mont. apud Walæum com. in libb. N.T. Hist. super *Act.* I, 19. p. 1025. seq. *vel* qvod eodem in loco se Judas suspenderit, ac postea sepultus sit, qvorum meminit Lyra in *Act.* I, 28. & consentientem se profitetur Heinsius in Exerc. N.T. p. 244. seq. Qvamvis autem de loco suspendii aut sepulchri Judæ res sit valdè dubia, tamen contextus *Act.* I, 18, 19, 20. haud obscurè indicat, etiam ex horrendo Judæ interitu Agrum istum Nomen traxisse. Ita enim ibi: *Is* (Judas à maleficio v. 16. & pristino officio v. 17. descriptus) *acquisivit Agrum ex mercede injustitiæ, & præcipitatus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus, innotuitq; omnibus habitantibus in Ierusalem* (scil. idipsum, qvod præcesserat de ejus horribili morte) *adeò ut* (propter hunc ipsum qvoq; eventum, cùm aliàs de Christi Sangvinis innocentis effusione hîc nihil expressum fuerit) *vocetur, Ager ille propriâ ipsorum lingvâ Aceldama, h. e.* Ager Sangvinis. *Scriptum est enim in libro Psalmorum*, Fiat commoratio ejus deserta. Sicut igitur apud Prophetam dicta & Vallis occisionis, ob cædem eorum, qvi innocentem Sangvinem antea effuderant: Ita hîc Ager dictus Sangvinis, non tantùm, quia pretium emtionis antea erat pro Sangvine CHRISTI datum, sed etiam, qvia is, qvi pretium istud acceperat, maximè tragicâ morte periit.

3. *Usus.* De tractu loci, ubi Ieremias Lagenam à Figulo emtam confregerat, cum additâ interpretatione, constat ex textu Prophetico, qvod *Usus* ejus partim fuerit, partim futurus prænuncietur *Immundus* 1. *Moraliter*, per crimen idololatriæ & infanticidium, ibi commissum v. 4, 5. Adde v. 13. Hoc ipso enim pollui dicuntur non tantùm ii, qvi committunt, *Psalm.* CVI, 39. *Ezech.* XX, 7. 18, 31. 32. 44. XXII, 3, 4. XXXVII, 23. (nominatim in Valle istâ *Ierem.*

3. Usum, sc. Immundum.

II,22,23.) sed etiam Loca, ubi committuntur. II. *Chron.* XXXVI, 14. *Psalm.* CVI, 38. *Ier.* III, 2. XVI, 18. XXXII, 34, 35. *Ezech.* V, 11. XXXVI, 17, 18. *Amos* VII, 17. 2. *Ceremonialiter*, per Cadavera, qvæ ibi conspicienda ac sepelienda prædixit Ieremias v. 11. ita etiam *cap.* VII. 32. Qvod exinde immundities contrahatur loco, etiam ex contextu v. 11. 12. 13. liqvet. De Cadaveribus sub dio jacentibus vel pendentibus, qvod terram polluerint, nisi tempestivè sepelirentur, videatur *Deut.* XXI, 22. 23. *Ezech.* XXXIX. 14. 16. Si nudo Sepulchri contactu talis impuritas contracta est *Num.* XIX. 15, 16, 18. utiq; pro Leviticè immundo loco illud habitum est. 3, *Naturaliter*, per Cadavera, qvæ ibi relinqvenda essent in bestiarum atq; volatilium escam v. 8. Talia enim putredini citò sunt obnoxia, vermibus scatentia, in saniem liqvescentia, & pessimè fætentia, ut nauseæ sint omnibus *Esa.* LXVI, 24. Qvomodo antea Iosias Rex per ossa, per cadavera, per alias sordes istam Vallem polluerit, superiùs jam indicatum est. Quod etiam *Ager Figuli* inservire debuerit *Usui* apud Iudæos *Immundo* habito, apud omnes in confesso erit. Destinatus enim fuit *Sepulturæ*, & qvidem *Peregrinorum* h. e. Religiosorum ex Gentibus, qvos itidem adhuc pro immundis Iudæos habuisse *Sect. I. hujus Cap.* probatum est. *Pollutos* censebant Pontifices ac Seniores Populi XXX. istos *Argenteos*, qvia ad pretium prodendi Sangvinis antea impensi erant, adeoq; indignos, qvi ærario Templi inferrentur, unde postmodum ad sacros erogarentur usus. Hinc ipsorum verba vers. 6. *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium Sangvinis est. Consilio autem inito ex eis emerunt Agrum illum Figuli*, (qvem effossâ jam argillâ & projectis in eum testis nulli nunc amplius ulteriori usui futurum superiùs monitum est) *in sepulturam Peregrinorum.* Ita scil. ex *Argento immundo*, qvod erat pretium CHRISTI, ipsis maximè *abominabilis*, emerunt Agrũ ad alios usus ineptum, in *immundum usum*, sc. Sepulturam, & qvidem Peregrinorum Gentilium itidem pro immundis habitorum. Huic emtioni successit etiam Nomen infame, ut ob proditi Sangvinis innocui scelus, & maximè tragicam proditoris necem diceretur Ager Sangvinis. Ad lævam Vallis Hinnom, adeoq; etiam hujus Agri, ab Oriente versus Meridiem decurrit Torrens Kidron, qvi ipsam qvoq; interluit, in mortuum mare se tandem exoneraturus. Qvod propterea prope hunc locum Torrentem fuerit *Sepulchretum Plebejorum*, inter qvos non-

nonnulli peregrino idolorum cultu se contaminaverant, colligere licet ex II. *Reg.* XXIII. 6. II. *Chron.* XXXIV. 4. Vicinissimum à Lævâ huic Agro *Sepulchrum Zachariæ* intra Templum & altare occisi ponit Adrichomius, à Dextrâ verò Assyriorũ *castra*, in qvibus 185000. *per Angelum fuêrunt percußi*, II. *Reg.* XIX. 35. *Esa.* XXXVII, 36. qvi Peregrini fuêrunt, & in eodem loco forsan cadavera eorum terrâ fuêrunt obruta, in typicum præludium Peregrinorum in isto tractu aliqvando sepeliendorum.

Ad rationem Typi & Antitypi CL. *Glassius Philol. sacr. l.* 1. *tract.* 2. *p.* 200. propositâ Sanctii interpretatione sufficere putavit Analogiam inter Agrum Figuli & Agrum à Ieremiâ emtum (*cap.* XXXII.) in his duobus, qvod uterqve cesserit Peregrinis, & hic Figuli dictus, illius autem emti monumenta in vase Figuli fuerint reposita, utut qvædam esse contortiora, ac duriusculam esse analogiam non potuerit diffiteri. Sed plurimis modis clarior hîc est *Typi & Antitypi ratio*, ubi fermè omnia tam exactè conveniunt, *Schematismus convenientis Typi & Antitypi.*

Emtores

Seniores Sacerdotum & Populi Judaici

consultantes de occisione

Jeremiæ *Typi*, CHRISTI *Antitypi*,

per

falsa testimonia

delationem apud Judicem,

calumniam

in

objecto crimine Lingvæ contra alios Doctores pro legitimis habitos

adeoq;

pessimam pro debitâ mercede referentes gratiam.

Actus horum fuerunt

Emtio

per Prophetam *repræsentata*, per Evangelistam *recitata*.

Itio in Agrum,

Venditor, Figulus, qvi pretium accepit.

Ager idem

Ratione *Situs*

si non ad punctum Mathematicum, tamen ad vicinissimum tractum,

ante Portam Figulinam,

in valle Ben-Hinnon,
fundo argillaceo,
ad officinas figulinas,
ubi
Testæ ex vasis confractis.
Nomen Loci
Vallis Occisionis, *Ager Sangvinis*
ob
Culpam effusi sangvinis innocentis
Filiorum DEI per gratiam, *Filij DEI* per Naturam,
& *Pœnam* Sceleris,
Mortem scil. *Violentam*
Iudæorum, *Iudæ*.
Vsus Immundus *ad sepulturam*,
& qvidem *Peregrinorum*, qvoad
Adscitam Religionem, patriam Regionem
Iudæorum ad Ethnicismum delapsorum, Ethnicorum ad Iudaicam Ecclesiam conversorum.

Sect. 4. Textus Ier. XXXI. 38. 39. 40. Explicatur.

Sectio IV.

De Textu Jerem. XXXI. 38, 39, 40.

Satis jam officio nostro defuncti in explicando Prophetico, qvem S. Matthæus indigitavit, Typo, hoc unū adhuc agemus, ut, qvandoqvidem objici posset, illius *Ierem.* XIX. propositi scopum totum esse Increpatorium & comminatorium, qvum tamen emti in Sepulturam Peregrinorum Agri pro Sangvinis CHRISTI pretio Solatium qvoq; petant Mystici ejus Interpretes, investigemus Scripturam, an alicubi etiam textus inveniri possit, ubi *loci istius antea polluti sanctificatio* & per Messiam consecratio prædicta. Talem igitur producimus ex *Ierem.* XXXI. 38, 39, 40.

Argumentum totius Capitis est *Consolatorium* ex Beneficiis Messiæ, qvæ *partim* Typicè sub involucro corporalis auxilii & rerum externarum, *partim* per meram Prophetiam proponuntur. Sicut spiritualis Redemptio per liberationem ex captivitate Babylonicâ v. 2. seqq. Perpetuitas & Certitudo Fæderis Gratiæ per continuum Astrorū Officium, Maris fluxum & refluxum, Cæli terræq; impossibilem mensuram atq; investigationem modi consistentiæ v. 33. 36. 37. Ita in allegatis *versibus* 38, 39, 40. sub descriptione

Jeru-

Jerusalem (Vid. *Hypothesin* IX.) promittitur *Ecclesiæ* N.T. *ædificatio, dilatatio, sanctificatio* & *conservatio.* Variæ qvidem sunt de hujus vel illius loci in & circa Jerusalem situ sententiæ, qvas decidere difficilimum, in aliqvibus etiam haud possibile videtur. Sed post judicia ex Scripturâ S. petita Villalpandum præ aliis studebimus seqvi in explicandis istis, qvæ Jeremias typicè nominavit. Qvod *Turris Hananeel* prope Portam Ovium & Turrim Meah fuerit extructa, apparet ex *Neh.* III, 1. pleniùs adhuc aliqvid de situ ejus licet colligere ex *Neh.* XII, 31-41. si juxta delineationem Villalpandi etiam in Bibliis Vinariensibus expressam, (juxta Adrichomium enim mira hîc statuenda esset oberratio) distincta duorum Chororum, ex parte Occidentali, Templo directè oppositâ, ad dextram Portæ Stercorum, h.e. inter hanc & Turrim Furnorum v. 38. disposita processio expendatur. *Prior* enim *Chorus* venit super murum in dextrâ ad Portam Stercorum v. 31. (itidem occidentalem, sed lateri Australi viciniorem) unde perrexit ad Portam Fontis, deinde in latere australi ascendit gradus Muri civitatis David, procedens usq; ad Portam Aqvarum ad Orientem v. 37. qvæ Templo fuit Vicina. *Alter* autem *Chorus* ex adverso v. 38. ambulans itidem in latere Occidentali fecit initium eundi super muro ad Turrim Furnorum. Sed cùm prior Chorus primò ad lævam versus Meridiem pergeret, & per latus Australe ad Orientale procederet, usq; dum juxta Portam Aqvarum Templo vicinam de muro descenderet, idq; ingrederetur, Hic alter Chorus ex opposito ad dextram de Turri Furnorum Occidentali ad latum Murum, & postea in parte Boreali Portam Ephraim Veterem atq; Piscium prætergressus juxta Turrim Hananeel in angulo utriusq; plagæ ædificatam à Septentrione ad Orientem iter deflexit, à Turri Hananeel ad Turrim Meah, ab istâ ad Portam Pecorum, & ab hâc ad Portam custodiæ, ubi de Muro descendens itidem ingressus est Templum. *Porta Anguli* s. Angulorum dicta est, qvia in Angulo lateris Occidentalis & Septentrionalis fuit ædificata. Qvod ab hâc usq; ad Portam Ephraim (in latere Septentrionali sitam) fuerit longitudo 400. cubitorum, notum est ex II. *Reg.* XIV. 13. II. *Chron.* XXV, 23. in eâ Turrim (Psephinam dictam) ædificavit Uzias *cap.* XXVI. 9. *Collis Gareb*, non procul à Portâ Anguli versus Occidentem situs nomen habuit à scabie,

Quoad 1. Nomina Locorum.

Turris Hananeel.

Porta Anguli.

Collis Gareb.

qvæ גָּרֵב dicitur *Lev.* XXI, 20. XXII, 22. *Deut.* XXVIII. 27. qvia ibidem Leprosi & ex scabie impuri, secundum Legem urbe exclusi, habuerunt suas habitationes. *Goba* non à Villalpando tantùm, sed Lyrâ etiam, Adrichomio, Corn. à Lap. & aliis habetur pro Golgathâ, itidem sitâ ad Occidentem Civitatis, ubi facinorosi ultimô afficiebantur supplicio. *Vallem Cadaverum* nonnulli habent pro loco cædis Assyriorum, de quâ II. *Reg.* XIX. Alii pro valle Hinnom, ob cædem ac combustionem Liberorum ita dictâ. Villalpandus autem & Adrichomius exponunt Vallem inter Golgotha & mœnia Jerusalem, in qvam cadavera, ossa & cineres facinorosorum vel igne vel aliter sublatorum fuerint projecta: Qvamvis istorum prope civitatis mænia projectio minùs videatur probabilis. Cùm addatur, ædificandam esse *Vallem Cadaverum & Cinerum*, & *universam regionem* (Vox Ebræa usurpatur de Agris campestribus frugiferis urbi vicinis *Deut.* XXXII. 32. II. *Reg.* XXIII. 4. *Habac.* III. 17.) *usq; ad torrentem Kidron, ad angulum usq; Portæ Equorum Orientem versus*, nihil decedit sensui Prophetico, qvam sententiam de Valle Cadaverum & Cinerum seqvamur. Totum enim à Colle Gareb & monte Golgathâ Occidentali tractum, per latus Australe, usq; ad Orientalem Portam Eqvorum, Templo & ædibus Sacerdotalibus vicinam *Neh.* III, 27. etiam locum cæsorum Assyriorum, Montem Eroge, & Montem & Agrum postea Hakeldama dictum, ut & Vallem Hinnom comprehendere nemo ibit inficias. De omnibus locis hactenus enumeratis Propheta vaticinatur, qvod futura sint *Sanctitas DOMINO*, h. e. qvod maximam partem antea impura, ac pro immundis habita, sacris Deoq; placentibus usibus cessura sint, & qvod *Domini Civitas non* sit *evellenda, neq; destruenda ultrà in seculum v. ult.* Qvod omnia hæc beneficia ortum debeant venturo Messiæ, ipse illius Capitis contextus manifestè indicat.

Goba. *Vallis Cadaverum, & Cinerum.* *Torrens Kidron.* *Porta Equorum.*

Inepti sunt, qvi hanc Prophetiam ex asse implendam in terrenâ Jerusalem opinantur. Notum enim est ex Nehemiâ, Josepho & aliis, qvin & ipsi Judæi fatentur omnes, qvod civitatis istius post solutam captivitatem Babylonicam reædificatio fuerit respectu prioris exigua, non complexa in se & murorum suorum ambitu omnia ista loca, qvæ Jeremias nominavit. Quod nec Messias venturus sit ad instaurandâ ac perficiendam adhuc istius civi-

2. Sensum Prophetiæ. (1. Negativè.

civitatis amplitudinem, contra Judæorum, imò etiam Cornelii à Lap. in h.l.f. 743.D. & aliorum Pontificiorum ſomnia multis jam evicerunt alii. Nec Lyrano adſtipulamur, qvi de reædificatione Jeruſalem factâ per Imp. Ælium Adrianum, interpretatur. Non enim amplior iſta fuit ædificata, ſed anguſtior priori. Situs ejus alio in loco, ſc. ad Montem Gihon & Golgatha, excludens priſtinum ſitum Turris Hananeel, Portæ Anguli, Torrentis Kidron, Portæ eqvorum. Qualis etiam hæc Sanctitas Domino, quando dictus Imperator ibidem Jovis Capitolini ſtatuam erexit, Veneriq; Templum ſtatuit? (*V. Bunting. Itiner.* p. 1. fol. 60.) Certum igitur manet atq; firmum, quod *de myſticâ Ieruſalem*, h. e. *Eccleſiâ* N. T. illud vaticinium intelligendum ſit, juxta Phraſin Prophetis ſæpius uſitatam. Inprimis huc facit conſideratio textus *Zach.* XIV. 8, 9, 10, 11. 20. 21. iſti loco Jeremiæ inſigniter paralleli. Deſcribitur phraſibus à civitate Jeruſalem petitis *Eccleſiæ* hujus 1. Ædificatio: *Ædificabitur Civitas Domino.* Conf. v. 28. *Pſ.* LXXXVII, 5. *Cant.* VIII, 9. *Eſa.* LIV, 11, 12. *Amos* IX, 11, 12. *Act* XV, 15. *Zach.* II, 4. VI, 13 15. XIV, 10. *Apoc.* XXI, 2. 2. *Dilatatio: Et exibit ultrà filum menſuræ, &c. Sub extenſione* lineæ menſoriæ ultra priſtinum civitatis ambitum, & expreſſis nominibus qvorundam locorum antea ſuburbanorum, vel in viciniâ ſitorum notatur *Eccleſiæ Amplitudo* ex univerſali Evangelii prædicatione oritura. Conf. *Eſa.* XLIX, 19, 20. ſeqq. LIV, 2, 3. LX. 4. & ſeqq. *Ezech.* XLI. ſeqq. & dictum locum *Zach.* XIV, 9. 10. 3. Sanctificatio, *Collis Gareb* propter ædes leproſorum; *Goha* propter facinoroſorum ſupplicia; *Vallis Cadaverum & Cinerum* propter cædem vel etiam idololatricum infanticidium; *Torrens Kidron* & propter projecta olim in eundem idololatriæ inſtrumenta, ſive integra ſive combuſta II. *Reg.* XXIII, 4. 12. & propter omnium ſordium ex urbe & montibus in eundem per pluvias confluxum pro impuris habebantur. De his tamen omnibus dicitur, quod futura ſint *Sanctitas Domino*; ad indicandum, qvod Novi Fæderis de gratuitâ remiſſione peccatorum propter Meſſiam, de qvo v. 24. dictum erat, in Eccleſiâ N. T. per univerſalem Evangelii prædicationem participes futuræ ſint etiam Gentes. Cùm antea & ipſæ & earum Regiones haberentur pro impuris atq; abominabilibus, *Lev.* XVIII, 25, 27, *Ioſ.* XXII, 19. *Eſr.* IX, 11. *Amos* VII, 17. *Act.* X, 12, 13, 14. 28.

(2. Poſitivè, de Eccleſiæ N. T.

Ædificatione,

Dilatatione,

Sanctificatione,

futurum prædicitur, ut pristina ista impuritas &abominatio per CHRISTUM abolenda, adeoq; Gentes conversæ unà cum suâ terrâ futuræ sint Sanctitas Domino. Conf. *Esa.* XXXV, 8. LII, 1, 2. *Act.* X, 28. 35. 45. XI, 3. 17. 18. Sic in loco Jeremiæ parallelo *Zach.* XIV. de mysticâ Jerusalem ædificandâ atq; dilatandâ asseritur, quod ibidem *non futurum* sit *amplius Anathema v. 11.* quod *tintinnabula equorum &* alia utensilia profana *sancta Domino*, *neq; Cananæus*, h. e. pro impuro habendus Ethnicus, *ultra ibi futurus* sit. v. 20. 21. 4. Perpetua Conservatio: *Non evelletur neq; destruetur ultra in seculum.* Conf. *Psalm.* LXXXVII, 2. *Esa.* LIV. 10. 11. 12. *Matth.* XVI. 18. Cùm verò, ut *Hypothesi Decimâ* notatum est, interdum etiam proprio verborum sensu ex parte impleantur, quæ Figuratis in Scripturâ Propheticâ phrasibus prædicta sunt, & *Vallis Cadaverum* cum viciniâ, ad quam *Ager etiam Sangvinis* postea dictus referendus est, ob commissam ibi Gentilem idololatriam & cædem hominum, fuerit immundis locis annumerata, qvin & *Peregrini Gentiles* in Agro isto sepeliendi à Judæis immundi habiti fuerint, non immeritò prædictio ista Prophetica de sanctificandis tempore N. T. per CHRISTUM immundis aliàs locis & hominibus (quæ κατὰ τὴν διάνοιαν generalis est) speciatim censenda est etiam tunc impleta, qvando *Ager iste in Sepulturam Peregrinorum Gentilium pretio sangvinis CHRISTI emtus* à Matthæo narratur, in præludium qs. & indicium, quod, ut ista sepulchra in tractu ex Ethnicâ ibi exercitâ idololatriâ infami sita, ita etiam alia immunda aliàs habita loca per virtutem Sangvinis CHRISTI dedicanda, & ut ad Gentiles ibi sepultos, ita etiam ad alios ex Gentibus oriundos spectet ejus sangvis, qvi effusus est, ut Gentes etiam pristinâ immunditie sublatâ Sanctitas essent Domino. Videantur qvæ de Mysterio in Emtione hujus Agri pro pretio Sangvinis CHRISTI superiùs *consideratione explicationis Decimæ Septimæ* observata sunt.

Conservatione. Hæc Prophetia etiam impleta est in Agro Sangvinis.




005267108